RESPONSIO

Reuerendiſsimi Patris

Procuratoris Generalis Capuccinorum.

CONTRA



Diſcurſum Medicinalem, ſeu quæſtionem Medicomoralem, Dñi Ioannis Baptiſtæ Manzanedæ Molinæ Medici



SACRAE CONGREGATIONI

Epiſcoporum, & Regularium.

Præſentata.





ROMÆ,
Ex Typographia Reu. Cameræ Apoſtolicæ
M. DC. L X X X.
Superiorum Permiſſu.

In Nomine Domini.

1 ECcell. D. Ioannes Baptista Manzaneda Molina Medicus Hispanus attendens Capuccinorum consuetudinem retinendi Habitum Religionis etiam in grauibus infirmitatibus, nescio, qua miseratione commotus, eos ab obseruantia talis consuetudinis retrahere, & assumendam tunicam lineam, & linea linteamina contendit, nitendo probare in quodam suo tractatu huiusmodi obseruantiam esse vitiosam, culpabilem, & demeritoriam; ad hoc autem inferendum assumit dictam obseruantiam esse immoderatam, indiscretam, imprudentem, irrationabilem, contrariam charitati, ac legi naturali, & ad has assumptiones stabiliendas ponit pro fundamento plures infirmitates non posse curari absque dicti habitus expoliatione, & tunicæ lineæ assumptione, hæ autem rèduci possunt ad duo genera, earum scilicet, ad quas curandas non possunt applicari remedia sine habitus expoliatione, & illarum, ad quarum curationem dimissio laneæ tunicæ, & lineæ assumptio (vt putat) est remedium necessarium.

Inuenit aliquos dicti sui tractatus Probatores, quem proptereà Typis impressum vernaculo Idiomate vulgauit, & in Italicum conuersum Sac. Congregationi præpositæ negotijs Episc. & Regular. præsentauit; ideò ad præsentem disputationem pro manutentione nostræ obseruantiæ contexendam me coegit, sicut & eiusdem Sac. Congregationis mandatum. *Pro Informatione.*

2 Suppono itaque Primo, Capuccinos ab antiquis temporibus sic austeritati vitæ, & seueriori disciplinæ deditos fuisse, vt tamen cum Fratribus Infirmis charitatiuè omni tempore

se gesserint; vnde tempore infirmitatis non solum calceamenta iuxta Regulam Cap. 2. illis concesserunt, sed etiam Cellas, seu infermarias grandiores, stratum è lana confectum, chordam subtiliorem, victum specialem,& alia, quæ iuxta Medicorum, aliorumque Peritorum iudicium, longumque experimentum necessaria visa sunt. Habitus quidem expoliationem, & lineam tunicam illis, præterquam in actuali Balneorum naturalium,vel artificialium vsu vsque ad hæc tempora communiter non concesserunt, sed quia hæ vsque modo necessariæ non sunt habitæ.

3 Suppono: Secundo: Capuccinos retinuisse consuetudinem retinendi habitum in infirmitate, atque in eo vitam suam terminandi pluribus de causis.

Primò ad obseruandum suæ Regulæ præceptum *Cap. 2. de habitus Regularis delatione Sacris Canonibus Conforme. Cap. Sanctimonialis dist. 23. Cap. Vidua 20. q. 1. & Cap. vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi in 6.* Neque enim eorum timorata conscientia suffert tanto tempore sine habitu manere, quantum ad curandas infirmitates graues, & periculosas requireret Eccellens Medicus Molina, cum huiusmodi carentiam non iudicent esse ad curationem præcisè necessariam maximè attentis traditis ex *Gloss. in dicto Cap. Sanctimonialis in Cap. 3. 16. q. 1. Ioanne Andrea Archid. &c. per Graff. par. 1. lib. 3. cap. 5. num. 74. 75. 76. & par. 2. libr. 3. Cap. 17. per totum. Per Comitol. libr. 7. qu. 7. §. Genus vtrumque.*

Secundò ad imitandum S. Patriarchæ sui exemplum, quem cum alijs Fratribus Minoribus vocant non solum S. Patrem sed formam Minorum, virtutis speculum, Recti viam, Regulam morum.

Tertiò: Ad custodiam matris suæ altissimæ paupertatis, si

enim

enim tunica lanea deponenda esset, & linea assumenda, oporteret plura millia tunicarum linearum linteaminum, & aliorum indumentorum, quibus infirmi operiantur, cum cibum capere, vel è strato surgere debent, habere, quæ Capuccini, vtpotè non præcisè necessaria sibi putant illicita ex vi Regulæ *Cap.* 2. determinantis eorum indumenta, & voti paupertatis iuxta declarationem *Nicol.* 3. *Cap. Exijt de verb. signific.* §. *insuper nec vtensilia in* 6. *&* *Clem. V. in Concil. Vien. Clem. exiui* §. *ex præmissis autem*, vbi Pontifex declarat: *Quod Fratres Minores, ex professione suæ Regulæ specialiter obligantur ad arctos vsus, seu paupertates, qui in ipsorum Regula*(inter quos est indumentorum vsus)*continentur*.

Quartò: Ad manutenendam, quantum fieri potest paupertatis comitem austeritatem, & asperitatem, iuxta *Cap. cum ad Monasterium de statu Monachor. Siluest. V. Religio* 7. *& V. habitus q.* 1. *Cap. Vidua* 21. *q.* 1.

Quintò: Ad seruandam etiam in infirmitate modestiam, & honestatem Religiosam, iuxta D. Antonin. Doctrinam 3. p. *tit.* 24. *C.* 53.

Vltimò: ad præsidium, & armaturam contra Dæmonum incursus, & molestias: *Morbi enim tempore* (ex D. Ioannis Chrysostomi sententia in Psal. 55. *Domine vt scuto &c.*) *maximè pugnæ tempus est*, ideoque armaturam contra Diabolum abijcere minimé debemus, ex eodem autem Homilia secunda ad Populum *Habitus Religiosus fortis armatura est contra Diabolum*.

Ex his fit, vt Capuccini valdè habitui Religioso afficiantur, & pudeant ipsum semper habere, & in eo mori, è contra verò abhorreant eo priuari, nec possent sine mærore expoliari.

4 Suppono Tertiò: Capuccinos laneis vestibus assuetos minorem ab illis passionem sustinere, earumque molestiam

minus ægrè ferre præsertim, si habitus sint obsoleti, & longo vsu, multiplicique ablutione attriti, expillati, attenuati, rarefacti, subtiliati, cuiusmodi sunt habitus, quibus tempore infirmitatum grauium, & acutarum communiter vtuntur. His positis.

Videtur dicendum expoliationem vestis laneæ, & lineæ assumptionem Capuccinis graui infirmitate laborantibus futuram quidem accomodam non tamen esse simpliciter, & præcisè necessariam ad eorum curationem, vitæque conseruationem, ita vt sine illa per artem Medicam, nequeant curari.

5 Probatur autem primò, quia propter dicta in secundo, & tertio supposito habitus consuetus non perturbat Capuccinos, non impedit illis somnum, vel quietem, nec remediorum applicationẽ, cum ad calefaciendum, vel fouendum corpus, ad excipiendum, & abstergendum sudorem per sudaria linea sub habitu aptata corpori, prouideatur; remedia etiam sub eodem habitu applicentur, vel si opus sit habitus ipse in parte necessaria dissuatur, vel etiam incidatur. Præterea, cum tempore febrium ardentium habitus sit attenuatus, & rarus non multum aggrauat, vel calefacit corpus, nec impedit, quin calidæ exalationes, & fumositates euaporent, nec adeò ex corporis febrientis contactu incalescit, vt fortiter reagat in ipsum; extenditur etiam, eleuatur, aptatur per zedulam ingeniosæ charitatis assistentium industriam &c. adeo, vt si fiat comparatio ad tunicam, & linteamina linea, ita modica in effectu apparebit differentia, vt nequeat facilè iudicare Medicus in Capuccinorum curatione expertus, vel dubitare, an sit præcisè, & simpliciter necessarium Cappuccinis ægris tunicam laneam deponere, & lineam assumere, maximè si attendat animi conso-

latio-

lationem, & corporis à spiritibus infirmitatum protectionem; de quibus in supposito primò, per quas compensatur, imó & superatur commodum corporale, quod vestis linea afferret.

6 Probatur secundò experientia. Plures Capuccini ex infirmitatibus grauibus, & periculosis conualescunt, imò pluries seruata proportione, quam Seculares. Non ergo simpliciter, & præcisè necessarium est Capuccinis tunicam laneam deponere, & lineam assumere. At plures etiam ante senium moriuntur, fateor; sed dico: etiam plures seculares similiter in tunica linea moriuntur, vt quid ergo concluditur, quod tunica lanea ægris Capuccinis sit mortifera?

7 Prob. tertio: auctoritate, per centum, & quinquaginta annos Peritissimi Medici, qui curam Capuccinorum ex Charitate habuerunt, nouerunt: *Contraria contrarijs curari*, lanæ linique temperiem, quid mali habitus laneus, quid boni tunica linea posset illis afferre, & tamen iudicarunt Capuccinos communiter posse per artem Medicam absq; expoliatione Regularis habitus, & tunica linea curari. Innumeri Capuccini Doctrina etiam medica, prudentia, & vitæ sanctitate insignes idem censuerunt. Item S. P. Francisci Socij, & Alumni, alijque primi aurei seculi Regulæ Minoritanæ Professores; horum enim tunicæ, laneæ in quibus e viuis excesserunt, pluribus in locis cum veneratione conseruantur, non autem lineæ, quibus, si vsi fuissent, non est verisimile, quin aliqua fuisset conseruata. Demum Seraphicus Patriarcha, id docuit verbo, suoque firmauit exemplo; In secundo enim Cap. Regulæ ait: *Qui iam promisserunt obedientiam habeant vnam tunicam, cum Capuccio, & aliam sine Capuccio, qui voluerint habere*: quibus verbis non solum determinat suis Fratribus Professis indumenta, vt communi-

 ter

ter tradunt Seraphicæ Regulæ Expositores. Polit. hic n. 99. sed etiam præcipit continuam habitus Regularis delationem iuxta P. Sanct. Roman. hic §. *Secondo consiste*, & §. *il Frate è obligato portare sempre l'Habito &c.* Sic enim verbum *habere* sumitur etiam in Cap. Vidua de Regular. & transeũtibus ad Relig.; igitur Seraphicus Patriarcha cognouit nõ esse præcisè necessariam habitus expoliationem, & lineæ tunicę assumptionem ad grauium infirmitatum curationem, & confirmatur per verba, quæ subdit -- *Et qui necessitate coguntur possint habere calceamenta.* Sicut enim quia cognouit futurum aliquando necessarium, vt aliqui Fratres calceamenta deferrent illa ipsis dispensatiuè concessit; sic si iudicasset futuram cemmuniter necessariam tunicam lineam loco tunicæ laneæ ad grauium,& periculosarum infirmitatum curationem, illam Pijssimus Pater suis ægris filiolis in Regula expresse concessisset, sanctus quoque Benedictus voluit, vt vestiti dormiant Monachi, & in declaratorio Regulæ cap. 55. eisdem iniungitur, vt in casu grauissimæ infirmitatis dormiant saltim cum hasta, siue Patientia,ex Graff. par. 2. lib. 3. cap. 17. num. 18.

8 Ex dictis,iam patet consuetudinem Capuccinorum retinendi communiter habitum laneum in infirmitatibus grauibus, & periculosis non esse immoderatam, indiscretam, imprudentem, irrationabilem, contrariam charitati, & legi naturæ; vel insensibilitatis effectum, cum falsum sit dimissionem dicti habitus, & tunicæ lineæ assumptionem esse præcisè necessariam, ita vt sine illa per artem curari physicè, aut moraliter sit impossibile, destructo enim fundamento corruunt omnia prædicta, nihilque ex tot,tantisque Theologicis principijs, quæ magno apparatu dictus Excellẽs Doctor conglomerat, concluditur.

Sed

9 Sed dicit: In aliquo casu quis moriturus est ex eo, quod calor per vnum, aut duos gradus superabit resistentiam naturæ, artisque industriam, quod non eueniret, si dimisso habitu tunica linea suscepta fuisset. Non puto aliquem Superiorē Capuccinum negaturum lineam tunicam infirmo, quem Medicus iudicaret sine eius beneficio moriturum, sicut non negarunt Capuccini camisciam Ptysi, vel lepra infectis cum Medici illam esse necessariam ad curationem affirmarunt; sed propter aliquem casum particularem nunquid omnibus graui morbo laborantibus tunica linea concedenda est?

10 Si omnes, vel plurimi morbo periculoso laborantes propter habitus delationem morerentur aliàs non morituri, consuetudo Capuccinorum, vituperanda, mutandaque esset, at quod aliquis fortè propter habitus retentionem moriatur non videtur sufficiens ratio damnandi antiquæ huius institutionis, & consuetudinis obseruantiam, etiam ex pedum nuditate tempore brumali, ex habitus diurnæ, nocturnaque delatione tempore æstiuo, ex vigilijs, occupationibus, laboribus, Pęnitentijs in Religione, tum Capuccinorum, tum aliorum aliqui graues infirmiiates contrahunt, quas nec prouidere, nec præcauere sic viuendo possunt. Eh nunquid propterea assumenda sunt ab omnibus calceamenta, dimittendus habitus asper, relaxandæ Religionum obseruantiæ?

11 Etiam aliquis Carthusianus ab æsu carnium abstinens præ virium corporearum debilitate interijt, qui si pulli Gallinacei, aut vituli carnibus pastus fuisset ab infirmitate conualuisset: certum est enim huiusmodi carnes maiorem corpori vigore ingerere, quam oua, vel vinum, quo etiam pluries nō potest infirmus potari, & nihilominus quis damnat

nat communem PP. Carthusianorum à carnibus etiam in infirmitatibus abstinentiam? Imo pro Carthusiano, quem supponunt cum periculo vitæ ab æsu carnium abstinere, pugnant plures ex Tgeologis, Vasquez in par. 2. D. Thom. disp. 161. Granad. par. 2. controu. 7. tract. 3. par. 1. disp. 8. sect. 5. num. 27. docentes eum non solum licitè posse, sed teneri, etiam cum dispendio propriæ vitæ ob bonum spirituale commune à carnibus abstinere.

12 Pro Pęnitente, qui sibi notabiliter vitam abbreuiat pugnat cum Victoria Granadus in 2. 2. D. Thom. controu. 3. tract. 6. disp. 2. sect. 3. num. 12. apud Dian. par. 5. tract. 4. resolut. 33. illumque vindicat à reatu culpæ læthalis, pluraque exempla in subsidium adducit.

Cur ergo damnandi sunt Capuccini omnes, qui periculosis infirmitatibus grauati retinent habitum Religionis? maximè cum persistant in hoc, quod huiusmodi retentio non est omnibus, plurimisuè mortifera, relinquendo casus particulares iudicio Medicorum, & charitati, ac discretioni Superiorum; licet mox adducta etiam casibus particularibus faueant, & insuper possit dari casus & non vnus, quo Religiosus Capuccinus habitus sui solatio, & præsidio destitutus per malignam spiritus infirmitatis operationem aliàs non moriturus, intereat.

13 Quod autem dicta obseruantia communis non solum non sit vitiosa culpabilis, vel demeritoria, sed virtutis effectus, laudabilis meritoria, Deoque accepta, patet non tantum ex dictis, sed ex Christi Domini oraculo, quo institutum Capuccinum approbauit, facto P. Ioanni à Metymna Campestri, qui posteà Babiloniæ pro fidei Christianæ prædicatione plura tormenta, & mortem constanter sustinuit: Ecce Domini verba apud P. Zacchar. Bouer ann. 1544. *Id*

fir-

firmissimè tene inter alia omnia Religiosorum instituta hanc mihi gratissimam, & acceptissimam Congregationem esse, quam tam tenero amore prosequor, vt haud secus quam Mater amantissima sollicitam semper illius curam geram, neque vllam inter homines propaginem quantumlibet Sanctam esse, tibi persuasum volo, quæ (vt olim Francisco meo aperui) veris huius Regulæ obseruatoribus mihi gratior, & charior existat. (Et alia vice) Hoc vnum cunctis exploratum sit hanc me mihi familiam inter cæteras delegisse, in qua delicias, & voluptates meas collocarem eaque adeo oblectari sciant, vt hanc vnam multarum Congregationum, quæ longe lateque per Ecclesiam diffunduntur instar habeam. Tu vero nullatenus dubita, quod si alia, aut perfectior, aut mihi gratior inter homines Congregatio existeret, ad eam te vtique vocassem, in charitate enim perpetua dilexi te.

Errata.	Corrige.
Pag. 5. lin. 14. cnm	cum
Pag. 6. lin. 2. mltiplicique	multiplicique
Pag. 8. lin. 13. cemmuniter	communiter
Pag. 9. lin. 21. infirmiiates	infirmitates
Pag. 9. lin. 40. vigore.	vigorem.

2

RESPONSIO
APOLOGETICA

Domini Ioannis Baptiſtæ Manzanedæ
Molinæ Medici.

CONTRA

Reuerendiſs. Patrem Procuratorem
Generalem Capuccinorum

SACRAE CONGREGATIONI
Epiſcoporum, & Regularium
Præſentanda.



ROMÆ,
Ex Typographia Reu. Cameræ Apoſtolicæ
M. DC. LXXX.
Superiorum Permiſſu.

In Nomine Domini.

1. Reuerendissimus Pater Ioannes Baptista à Sabbio Procurator, & Commissarius Generalis Capuccinorum in sua Responsione ad meum Discursum Medicinalem doctè admodum excogitata, opinionem meam aliquibus fundamentis, inualidis tamen, obscurare conatur, quibus satisfacere, aliaque denuo, pro meæ conclusionis robore, adiungere in præsenti Apologia pro viribus curabò, sed in primis, vt liqueat de causa, quæ me commouit ad repræsentandum Sacr. Congr. Episcop. & Reg. consuetudinem RR.PP.Capuccinorum, circa habitus inseparationem, etiam cum euidenti eorum vitæ periculo, tendere contra charitatem, & legem naturalem, & ex suppositione obligatos esse ad separandum habitum, asumendamque tunicam lineam, lineaque linteamina, premittere debeo, continuam meæ facultatis experientiam, & exercitium visitandi infirmos quamplurimos Sacræ Capuccinorum familię, me, vt Medicum, & Christianum coegisse exponere id, quod lege naturali tenentur facere, & ponderare, ob inseparationem grauissimorum assecutionem inconuenientium, vt sunt, parua medicaminum vis, mortisque assecutio, quæ aliàs non sequeretur; manifestando obiter, medicinæ aphorismo à Deo esse in quinto Decalogi præcepto scriptos, iuxta legem æternam ordinis naturalis rerum conseruationem præcipientem, vt rectè libro de moribus Ecclesiæ, obseruat, D. Augustinus, his verbis: *Lex æterna est ratio Diuina ordinem naturalem conseruari iubens, & perturbari vetans*: idque non leuiter insinuat Spiritus Sanctus per Eccles. Dicens:

Da

+
Da locum Medico ; & non discedat à te ; quia opera eius sunt necessaria . Commentaque dictorum aphorismorum sunt SS. PP. Ecclesiæ, quibus nititur meus discursus medicinalis in quantum ad vitam spiritualem, maioremque perfectionem Christianam; Medicinaque corporalis, qua ad maiorem Altissimi laudem, eorum vitam conseruari curo, non est Hypp. Galen. & Auicen. vt primorum authorum, immo potius à Deo in corda hominum fuit infusa, & per Angelum Raphaelem ob commune bonum inuisibiliter instructa, vt videri est in S.Thoma à Villanoua concione de de partu Virginis §. *nam in naturalibus; Creator in herbis, & lapidibus pratiosis dedit virtutes ad sanitatem hominum ; Ipse manifestauit eas , alias frustra eas dedisset , nec putandum est Hipp. Galen. & Auicen. proprijs viribus tanta de natura herbarum attigisse , sed quodam supernaturali instintu propter bonum hominum forte hanc peritiam consecutos fuisse , cumque per Angelos homines gubernet , existimo , per Angelum Raphaelem, qui Medicina Dei nuncupatur , homines ad Medicinam restaurandam fuisse inuisibiliter instructos ; sicut visibiliter Tobiam Patrem curauit .* Quod adeo certum est , vt passim multi SS.PP. doceant, pro quibus stat D. August. qui lib. 3. Ciuit. Dei cap. 12. & 37. sic habet : *Corporis Medicina si altius rerum origines repetas non inuenitur vnde ab hominibus manare potuerit nisi à Deo.* Magnusque Basilius q. 55. id ipsum his verbis confirmat: *Cum Corpus nostrum affectibus expositum, varijs detrimentis affligatur ; Ars Medica à gubernante totam vitam nostram Deo concessa est .*

Hoc supposito : Mihi visum est , prædicti Reuerendissimi Patris oppositionibus contra meum Discursum Medicinalem militantibus, respondere , & quia multa ad vim suorum argumentorum, tamquam vera supponit , ideo illas prius

opere

opere prætium duxi examinare, vt contrà eas, quæ alienæ sunt à veritate, arguam, & illis, quæ contra me aliquid oppositionis videntur afferre, respondeam: & in Primis.

2. Prima suppositio prædicti Reuerendissimi Patris (nempe, quod RR. PP. Capuccini cum suis infirmis charitatiuè se gerunt, concedendo eis non solum calceamenta iuxta cap. secundum suæ Regulæ, verum etiam stratum e lana confectum, chordam subtiliorem &c. aliaque Doctorum, peritorumque Medicorum iudicio ad eorum vitæ conseruationem in infirmitatibus, necessaria) estò vera sit, tamen nihil in fauorem inseparationis habitus affert, immo potius contra ipsam, nouam vim attingit, & recentiorem viam nostrum intentum prosequendi, aperit: Nam non alia ratione calceamenta, &c. (aliàs sanis vetita) infirmis permittit, nisi quia ad eorum restaurandam salutem putat esse valde vtilia: Ergo multo magis separationem habitus permittet, quæ, vt iam probaui, ad fugiendas graues infirmitates in meo Discursu Medicinali enumeratas, est ex suppositione infirmis necessaria: consequentia videtur legitima, alias Regula (quod non credam) imprudenter ageret, curando de minori medicamento ad salutem restaurandam, maiori negato, sicut profectò imprudens censeretur Medicus, qui cupiens dare salutem ægroto, medicamina solum vtilia, & refrigerantia concederet, negaretque necessaria; et si hoc Regula expresse non mandauit, aut fuit, quia multa initio operis non prouiden tur, quæ postea cursu temporis experiuntur, aut ideo, quia solum vtilia ad salutem concedendo prudenter, necessaria videntur concessa, & quando casus est omissus, vnumquemque voluntatem suam secundum leges accommodare præsumitur. leg. quæro S. inter locatorem ff. loca-

ti. leg. quidam cum filium ff. de verb. oblig. leg. commodissimè ff. de liberis, & posthumis.

3. Et non valet, si meæ instantiæ consuetudo pro disparitate opponatur, nam ad hoc, vt consuetudo diu duret, & stabilis perseueret duas præcipuas debet habere conditiones, & quod nulli præcepto, siue naturali, siue Ecclesiastico se opponat cap. erit autem lex 4. dist. cap. consuetudo 1. dist. capite porrò trigesima quinta q. 3. cap. fin. de consuetudine: quia aliàs non consuetudo, immo potius diceretur præcepti relaxatio: & quod ab aliqua causa, siue obiecto honestatem accipiat, vel vt clarius procedam, quod materia, circa quam versatur consuetudo, sit vtilis, & honesta, aliàs magis, quam consuetudo erit boni coruptela; vt probant dicta iura; sed hæ conditiones, habitus inseparationi, in infirmitatibus grauioribus, in quibus salus ex suppositione, sine illa obtineri nequit, non conueniunt, immo illi repugnant: ergo, non est cur prædictæ consuetudini attendatur, & necessitati vrgenti infirmi non occurratur, cum in talibus infirmitatibus salus infirmi sine remedio periclitetur. Maior liquet certa, & Minor, in qua poterat esse difficultas, sine magno labore quo ad primam partem videbitur ostensa, nam cum in prædictis infirmitatibus sine habitus separatione, salus (vt suppono) obtineri non possit, manifestum est, quod inseparatio contra preceptum de conseruanda salute militat, & illi saltem indirectè opponitur. Secunda vero Pars ex eo videtur certa, quia, cum si consuetudo esset de habitu separando, vt in alijs Religionibus contingit, conseruatio salutis esset obiectum, vel causa, vel materia illam honestans, à fortiori inseparationi habitus in talibus infirmitatibus, vt pote consuetudini de separatione in tali casu opposita, non conseruationem in

tali-

talibus infirmitatibus respiciet pro obiecto, causa, vel materia; nam contradictoriarum consuetudinum, contradictoria debent esse obiecta, vel materiæ, quæ cum præcepto de conseruanda salute omnino, vt patet, sit contraria, nescio, quo modo talem consuetudinem bonam faciat, & vt meritoriam honestat. *Cum contrariorum e ntrar:a sit ratio, & contrarius effectus* leg. final. ff. de edendo leg qui accusare ff. de accusationibus. do:et Euerard. in topic. legal. loco 75. Surd. conf. 350.

4. Nec inuenietur refugium, si recurratur ad pœnitentiam, cum hæc quamuis aliquam debilitatem permittat, non tamen destructionem salutis, vel eius non consecutionem intendat, nam & si oppositum aliquando accidit, hoc raro, & sine eius intentione, cùm ad illud nullum dicat ordinem, venit, cuius contrarium in inseparatione habitus inueniri testatur experientia, cum experti simus, Religiosos prædictis infirmitatibus infectos numquam consequi salutem, vnde videtur talem inseparationem ad non consecutionem salutis aliquem dicere ordinem, quia & si detur, quod aliquis inter tantos de dictis infirmitatibus cum tali inseparatione habitus euadat, hoc cum raro contingat non constituit ordinem leg. nam ad ea cum seqq. ff. de legibus: & sicut non infertur, quod pœnitentia tendat ad destructionem salutis ex eo, quod ea posita salus alicuius pœnitentis aliquando periclitetur, quia hoc raro, & præter eius intentionem venit, ita similiter ex hoc, quod aliquis habitu vestitus tales infirmitates fugiat, & liber euadat, talem inseparationem non esse ex suppositione necessariam non licet inferre, maximè cum in hoc casu salutis euentus, iuxta regulas medicinæ, ab aliquo euentu speciali, & non omnibus communi censeatur prouenire, vel soli

Deo salutis Authori debeat tribui:

5. Secundo: Impugno prædictam inseparationem alio argumento ex ipsa suppositione desumpto, cum quo supra dicta confirmo, & melius meam mentem aperio, quod vt clarius fiat, interrogo: vtrum calceamentorum vsus, sumptio specialium ciborum, & cæterorum in suppositione nominatorum admissio, infirmis ab ipsa regula concessorum, sanis aliàs vetitorum, sint actus boni, & suis oppositis religiosiores, & magis meritorij, vel non? si secundum dicatur (quod numquam credo) vlterius rogo; Qua ratione, consecutio salutis, calceamentorum vsum, & reliqua enumerata, quæ, vt in responsione supponimus; minus religiosa sunt, & meritoria, licita reddit, eo quod vtilia, & habitus separationem non potest honestam reddere, cum sit ex suppositione necessaria? Nulla meo videri potest assignari disparitas, quia si videtur actum magis religiosum, & meritorium relinqui, & minus religiosum amplecti, eo, quod ad consecutionem salutis sit vtilis, & ab ea honestabilis; quare hoc negatur separationi habitus non solum vtili, sed ex suppositione necessariæ? Si primum dicatur non alia ratione mihi videtur assertum, nisi quia prædicti actus à causa nobiliori honestantur, & ad meliorem finem ordinâtur, sed cum hic sit consecutio salutis, vel salus, vt consequenda, vlterius interrogo; Quomodo hæc potest calceamentorum vsum, & reliqua enumerata magis meritoria, & religiosa reddere, & habitus separationem ad illam necessario ex suppositione tendentem irreligiosam facere, & minus meritoriam reddere, cum minorem proportionem habeat, & minus de bonitate finis participet bonum vtile, quam necessarium?

Nec

6. Nec Causæ, quibus prædicti Reuerendissimi Patris suppositio nititur, alicuius sunt momenti ad suum videri stabiliendum, & meum confutandum; Nam in primis.
Prima, quæ affertur nempe inseparationem habitus stricte seruari ad obseruandum suæ regulæ præceptum, manifeste apparet falsa, siquidem in illa supponit; præceptum de inseparatione cum separatione in grauibus infirmitatibus facienda stare non posse, quod, inquam, falsum est, & expositioni suæ regulæ factæ à Fr. Hyeronimo à Politio Capuccino, contrarium, nam ipse cap. 2. fol. mihi 205. num. 99. hæc habet: *Adeo enim ipsis religiosis professio habitus est annexus, vt temere absque rationabili causa dimitti sine culpa non possit*: ex qua authoritate sumpta pro antecedenti, hæc licet inferri consequentia: Ergo posita rationabili causa, separatio habitus cum tali præcepto stare potest, & consequenter in tali casu, non solum non frangit præceptum, verum ipsum illæsum seruat; at qui in infirmitatibus grauibus, in quibus salus sine habitus separatione obtineri non potest, datur sufficiens & rationabilis causa: Ergo in illis separatio habitus cum tali præcepto stare potest, & consequenter illud non frangit, sed illæsum seruat, prima consequentia ita est certa, vt ab ipso Politio cap. 2. fol. mihi 207. num. 95. videatur admissa; Nam ibi hoc modo se explicat: *Dixi temeraria absque rationabili causa; Nam si ex rationabili causa habitus dimittatur, puta ob metum hæreticorum, vel ad medicinam summendam, vel ad se lauandum, vel ad aliud Religioso licitum exequendum opus, nulla incurritur culpa.* Quibus verbis, & nostræ consequentiæ dedit roborem, & minori in argumento subsumptæ, non leuem indicauit probationem, nam

 ideo

ideo metus hæreticorum censetur causa rationabilis, & sufficiens propter periculum vitæ imminens, cui aliter subueniri non potest, sed in prædictis infirmitatibus, in quibus salus habitu retento ex suppositione obtineri nequit, imminet ingens vitæ periculum, & illi, nisi habitu dimisso, subueniri non potest: Ergo datur in illis sufficiens, & rationabilis causa ad separationem, & consequenter cum tali præcepto separatio stare potest, & illud non frangere, immo illæsum conseruare. Maior; ex verbis Politij videtur certa; Minor; sine disparitate imitatur maiorem, vnde euidenter infertur consequentia. Quod quidem tenent alij quamplurimi Authores Seraph. Religionis, vt videre est apud Emanuel. de Regularibus q.71. Portel. verbo *habitus* in add. n. 1. Ita defendunt Sanchez 2. Decalogi cap.4. n.11. Caiet. Aragon. & Plutarch. Azor tom. 1. cap. 12. q.8.

7. Nec suum intentum probant iura, ab ipso Reuerendissimo Patre Procuratore allegata; videlicet textus in cap. Vidua 20. q. 1. cap. vt periculosa ne Clerici, vel Monachi cap. Sanctimonialis dist. 23. quia illa iura generaliter intelliguntur loquendo de Religiosis, qui in bona valetudine sunt, non verò de Ægrotis; & licet vrgeat cap. Sanctimonialis asserendo, quod *adhuc in lecto habitum habere debeant*, & Glos. in d. cap. vt periculosa, *etiam in infirmitatibus*, minimè refragantur; quia loquuntur quando infirmitates non sunt adeò graues, vt supponimus in nostro Discursu, quia etiam concedimus, quod quando necessitas deficit, nullatenus habitus separetur: ita explicat dicta iura Nauar. de Regularibus cons. 70. num. 6. lib. 3. qui in terminis terminantibus nostram quæstionem concludit non solum, habitus separationem, exigente necessitate, licitam nota

esse,

esse, verum etiam permissum Religiosis Monasterij Clausuram ad recuperandam salutem Consilio Medici, relinquere, & ad hoc firmissima fundamenta adducit nostram conclusionem corroborantia:

8. Secunda causa, quam affert prædictus Reuerendissimus P. nempe hoc fieri ad imitandum Sancti Francisci exemplũ, melius videtur probare nostram conclusionem, siquidem S. Bonauentura loquens de eiusdem Sancti obitu, oppositum his verbis insinuat: *Perductus autem*, idest S. Pater, *ad locum præfatum*, *nempe ad Sanctam Mariam de Porciuncula, vt veritatis exemplo monstraret, quod nihil erat ei commune cum Mundo in illa infirmitate tam graui, quæ omni languori conclusit super nudam humum se totum nudatum deposuit quatenus hora illa extrema, in qua poterat adhuc hostis irasci, nudus luctaretur cum nudo.* Et dato gratis, quod hæc authoritas suo sensui possit appropriari, iam in meo Discursu Medicinali fol. 45. p. 3. n. 1 per modum obiectionis fuit ipsa causa à me proposita, & ibi sufficienter responsa, vbi potest videri, ne semel dicta iterum referam.

9 Tertia etiam causa, quam affert, nempe habitum in infirmitatbus non separari, & tunicam lineam non indui, vt custodia suæ Matris paupertatis maneat illæsa, minimè videtur certa, cum habitus separatio in infirmitatibus componi possit cum strictissima paupertatis custodia, primo quia inter tunicas laneas, lineasque non est multum dispar pretiũ, cum experiamur inter vtriusque prætia non esse notabilem differentiam. Secundo; quia tot tunicarum millia, vt Reuerendissimus Pater supponit, non videntur necessaria; etiam si daretur casus, in quo omnes Religiosi alicuius Conuentus, ægrotarent, quod nisi raro non contingit; & ita cessat

 in-

incommodum, maximè, cùm manus Domini non sit abreuiata, & speciali dono Religioni S. Francisci prouideat, concedendo omnibus suis Conuentibus, ad minus, ad victum, & vestimentum, necessaria; & si horum numquam sentitur defectus, quamuis sine comparatione tunicas lineas excedant in prætio, quia necessitas eorum est numerosior, & vsus frequentior; quomodo tunicæ lineæ deficient, & ad illas obtinendas timebitur prætium? Et si prouidere infirmis de reliquis medicamentis, iudicio periti Medici requisitis, esto magni sint prætij, Custodiæ paupertatis non contradicit, quia Regula, ius naturale, & Diuinum id præcipiunt, vt Politius in Cap. 6. fol.mihi 571. num. 118. his verbis docet: *De infirmis autem, non tantum naturali, & Diuino iure, sed etiam ex vi Regulæ, vt ex Clem. V. patet, curare tenemur, vt eis de necessarijs, vbicunque se reperierint, prouideatur*, quomodo ergo tunicæ lineæ ad tales infirmitates sanandas, ex suppositione necessariæ, cum paupertate stare non poterunt, & cum eius Custodia componi nequibunt? præcipuè cum nec Regula, nec Concilia, nec Sancti Patres contrarium insinuent; nam & si pro suo videri Reuerendissimus Pater afferat Nicolaum III. in Cap. exijt, & Clementem V. ipsi enim declararunt Religiosos ex professione suæ Regulæ esse specialiter obligatos ad arctos vsus, seu paupertates, inter quas indumentorum vsus numeratur, non tamen est credibile, quod vsque ad Religiosos grauiter ægrotantes eorum Decretum perueniat, cum ibi illorum nullam mentionem faciant; quia lex præcipuè pœnalis non semper vniuersaliter debet intelligi, nec ad alios casus extēdi leg. factu n quique S. in pœnalibus, vbi Dec. ff. de reg. iuris cap. in pœnis 49. eod. titulo lib. 6. cap. ex litteris de const.

leg.

leg. penult. ff. de pœnis, etiam si extensio fiat ex similitudine rationis Ioan. And. in Reg. odia de reg. iuris lib. 6. Ex quo colligitur Sacros Canones, & Gloss. à Reuerendissimo citat. generaliter loqui, vt dixi, de omnibus Religionibus, & sicut cæteræ cum tali statuto paupertatem cum habitus separatione componunt, & nulli Decreto se opponunt, aliàs qui contrarium præsumeret, Religionibus tam grauibus iniuriam faceret, ita RR. PP. Capuccini id ipsum faciendo, nec paupertatem tollent, nec talibus statutis se opponent.

10 Quarta similiter causa: nempè hoc fieri ad austeritatem, obseruandam. Quis dicet Religiosos, in infirmitatibus grauibus obligatos esse ad austeritates, & asperitates præfatas, cum eas D. Hiero: vocet superfluas; nam ipse Epist. 27. reprehendit S. Paulæ tempore suarum infirmitatum, suarum mortificationum immoderantiam; sic enim in citato loco ad S. Eustoch. Epitaf. alloquitur: *Quid memorem Clementiam, & Sedulitatem in ægrotandis, quas miseris obsequijs, & ministerijs consouebat? cumque alijs languentibus large preberet omnia, & esum quoque exhiberet carnium, si quando ipsa ægrotasset, sibi non indulgebat, & in eo inæqualis videbatur; quod alijs clementiam in se duritiam commutabat.* Et denique S. Dei Apostolus, Ecclesiæ Doctor Eximius D. Paulus prima ad Thimoteum 5. ita ipsum Thimoteum admonet: *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere propter sthomacum tuum, & frequentes tuas infirmitates.*

11 Quinta vero: ex dictis in tertia apparet soluta, nam si cæteræ Religiones Sanctæ, & à Sancta Sede Apostolica approbatæ suis filijs contrarium permittunt, hoc est, quod in suis infirmitatibus habitu expolientur, & tunicis lineis induantur sine modestiæ iactura, qua ratione in RR. PP. Capucc.

separatio habitus immodestiam arguet, & decentiæ Religiosæ se opponet? & ita hac relicta.

12 Ad vltimum tandem Resp. Sententiam D. Ioan. Chrisostnmi super Psal. 55. esse optimam, & nostro intentui minimè contrariam; nam & si S. Doctor dicat, quod habitus Religiosus fortis armatura est contra Diabolum, hoc habitui interno debet aptari, & pro bonis operibus intelligi, quæ sunt habitus Religiosus, & perfectus, quo Dæmones vincimus, & eius armaturas superamus, nam habitus non facit Religiosum potentem, imò Religiosus facit habitum, vt Pontifex declarauit in Cap. porrectum, Cap. ex parte de Regularibus. Cap. Consuluit, qui Clerici, vel vouentes. §. si quando versic. tondi eam, auth. vt nulli iud. Collatione 9. Hostien. & alij ad dictum cap. porrectum num. 3 Ex quo apparet, quod tertia suppositio prædicti Reuerendissimi P. vim non habet, nam & si RR. PP. Capucc. talibus habitibus laneis sint assueti, tamen non leuem passionem in infirmitatibus sentient, quia & si facci sint expillati, attenuati & attriti, cum lanei sint, plus calorem febris augent, & infirmum fatigant, & ad eorum indispositionem iuuant, & consequenter corũ curationi sunt valde contrarij, vt in meo Discursu Medicinali in primo puncto probaui, quin obiectiones, quas mihi obijcit oppositum persuadeant; quia, & si RR. PP. Capucc. à multis infirmitatibus, quarum in meo Discursu Medicinali, memoriam facio, absque habitus separatione liberi euaserint, rari sunt euentus; vnde, & quæ raro accidunt nõ veniunt ad consequentiã dicta leg. nam ad ea ff. de legibus. leg. iura cum leg. sequent. Cod. de postulando, latè docet Menoch. de interdictis remdio 2. adipiscendæ possessionis num. 111. Thom. de Thom. reg. 14.

Surd; decis. 122. num. 1. & Consilio 271. num. 28. Valasc. Consil. 113. num. 21. Et si è contrario accidit, quod aliquis, tunicis lineis, vestitus, & linteaminis lineis interpositus, infirmitates enumeratas non fugiet, immo in illis obeat, non tamen licet inferre separationem habitus in illis non esse necessariam, quia cum tales infirmitates curabiles sint, quamuis aliquis cum talibus tunicis moriatur, cum plerique sint, qui in illis salutem recuperent, cum e contra penè inueniatur aliquis, qui cum habitu ex illis infirmitatibus in Discursu nominatis, euadat, non potest inferri, quod tunicæ lineæ, & habitus separatio non sint ex suppositione necessariæ, sicut ex hoc, quod aliquando contingat, quod aliquis Atraxe, Pleuride, Angina, vel tonsilla infectus, etiam dimisso sanguine moriatur, male inferetur, sanguinis effusionem, ad Antraxium, Pleuridum, Anginarum, vel tonsillarum sanitatem non esse simpliciter saltim moraliter necessariam.

13 Nec obstat auctoritas Medicorum, qui per tot annos RR. PP. Capucc. curarunt, qui numquam hoc præceperunt, siquidem non fuit, quia ad tales infirmitates sanandas habitus dimissionem, & tunicarum indutionem non cognouerunt necessarias, sed quia præcipere noluerunt, quod ipsi PP. executioni mandare renuebant; & hoc pro consuetudine minimè allegari potest, quia vt ait textus in Cap. consuetudinis 11. d. *Consuetudinis, vsusque longæui non vilis Authoritas est, verum non adeo valitura momento, vt aut rationem vincat, aut legem, nam veritati manifestata cedat consuetudo veritati.* dicit tex. in Cap. veritate cum *seqq.* 8. dist. præcipuè quando consuetudo opponitur iuri naturali, vt iam supra diximus.

14 Et ad illud, quod additur Primitiuorum suorum Patruum plurimas tunicas conseruari, quæ si lineæ essent, non esset cur per tantos annos ad earum obseruationem exhiberetur tanta diligentia; nescio, quo motiuo id affirmetur quando in cæteris Religionibus continuum occurrat exemplar cira tunicas lineas.

15 Nec supradictis obstat Cap. 2. Regulæ S. Francisci, ex quo nobis obijcit hæc verba: *Qui iam promisserunt obedientiam habeant vnam tunicam cum caputio, & aliam sine caputio, qui voluerint habere*: quia nobis non est contrarium, quamuis verbum *habere* in illis inclusum continuationem significare prædictus Reuerendissimus P. intendat, quod si verum esset, non minus se ipsum, quam me impugnaret, cum aliquando separationem habitus, vt licitam admittat, vt patet ex prima suppositione; tum etiam, quia verbum *habere* non significat in Cap. Vidua de Regularibus allato à Reuerendissimo Patre, illam continùationem habitum portandi, quod ex ipso textu euidenter conuincitur, siquidem Pōtifex ita ait: *Vellit nollit Sanctimoniæ habitum habere debet*; nam si per verbum *habere* suam intentionem explicaret Pontifex superflue adiungeret illa verba. *Vellit nollit*, & verbum *debet*, quæ de sui natura necessitatem important; vt probat, tex. in leg. labeo de supp. leg. Alciatus de Verb. sig. lib. 1. in principio. Reinaldus Corsi de indag. iuris lib. 3. num. 13: nam omnia superflua verba in iure resecantur: docet tex. in leg. hæc stipulatio S. Diuus, ff. vt lega. nom. caue. leg. qui bis idem ff. de verb. oblig., lex enim nec vnā sillabam superfluam, & vacuam habere debet: Gonzal. ad Reg. 8. Cancel. gl. 22. & frustra fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora: vt tenet tex. in leg. 1. ff. quod metus cau.

leg.

leg. 1. §. in Refutatorijs Cod. de appellat. leg. generaliter Cod. de institut. sub cond. fact. leg. in donatione Cod. de donationibus, principio inst. quod cum eo qui in al. potest: ex quo apparet, quam à veritate etiam prædicta ampliatio Reuerendissimi Patris sit aliena, præcipuè cum Nicolao III. in cap. exiit de Verborum Sign. lib. 6. sit opposita, cuius hæc sunt verba: *Licet autem contineatur in Regula; quod Fratres habeant vnam tunicam cum Caputio, & aliam sine Caputio, & videri possit illam fuisse instituentis intentionē, quod necessitate cessante pluribus non vtantur, declaramus, quod possint Fratres de licentia Ministrorum, & Custodum coniunctim, & diuisim in administrationibus sibi commissis cum eis videbitur pensatis necessitatibus, & alijs circunstantijs, quæ secundum Deum, & Regulam attendendæ videntur vti pluribus, nec per hoc videantur à Regula deuiare: cum etiam in ipsa dicatur expressè, quod Ministri, & Custodes de infirmorum necessitatibus, & Fratribus induendis solicitam curam gerant &c.*

Et etiam Pontifex dicit inferius; *Nec sit verisimile B. Francisciũ Institutorem Regulæ, vel ipsis Ministris, & Custodibus impossibilitatis iugum voluisse præfigere, vel ex ipsius impossibilitatis consequentia Fratres ipsos suis necessitatibus velle carere.*

16 Ad id, quod ibi subiungitur; Habitus expoliationem non esse ad infirmitates necessariam ex eo, quod Regula ipsius dispensationis non meminit dispensando tamen in calceamentis, & reliquis ad salutem aliquo modo conducentibus; respondeo dupliciter; in primis cum textu in lege non possunt ff. de legibus, cuius verba sunt *Non possunt omnes articuli singulatim, aut legibus, aut Statutis, aut Senatus Consultis comprehendi, sed cum in aliquo casu sententia eorum manifestata est, is, qui iurisdictioni praeest ad similia procedere, at-*

quæ ita Ius dicere debet. Ex quibus verbis euidenter colligitur expressionem Regulæ circa calceamenta comprehendere etiam habitus expoliationem. Secundo; nam ex eo, quod Seraphicus Pater expressit in sua Regula dispensationem in calceamentis quando necessitas postulauerit, infertur tacitè concessisse habitus separationem in grauibus infirmitatibus, necessitate exigente, vt supponimus, quod ita probatur; Quando tacitum, & expressum sunt eiusdem naturæ, & tendunt in eundem finem, idem iudicium fieri debet de tacito, ac de expresso; Sed habitus separatio est eiusdem naturæ, & tendit in eundem finem, ac vsus calceamentorum: Ergo in dispensatione calceamentorum comprehenditur habitus separatio. Maior patet ex tex. in lege cum quid vbi DD. ff. si cert. pet. lege si filius fam. ff. eodem titulo leg. vlt. ff. de legatis 2. leg. item quia ff. de pact. leg. vlt. Cod. qui bon. ced. poss. tenet Couarruuias in repet. cap. quamuis pactu de pact. lib. 6. par. 2. in initio num. 6. cum alijs. Minor vero probatur: vsus calceamentorum infirmis permissus ad naturam medicaminis pertinet, & in eius genere est collocatus (aliàs sine causa esset concessus) & conseruationem vitæ respicit, & ad illam, vt ad suum finem ordinatur; sed habitus separatio in infirmitatibus, in quibus sine illa salus nequit obtineri, pertinet ad naturam medicaminis, vt ex se patet, & in eius genere est collocata, & consecutionem salutis respicit, & ad illam vt ad finem ordinatur; Ergo habitus separatio est eiusdem naturæ, & tendit in eundem finem, ac calceamentorum vsus, & consequenter isto permisso, intelligitur separatio permissa; siquidem dispensato vno casu, quilibet alius huic omnino similis, & proportionatus, vt hic contingit, intelligitur in eadem Regula compre-

prehen-

prehensus, non solum extensiuè, verum etiam comprehensiuè per tex. in leg. illud. Cod. de Sacrosanct. Eccles. leg. his solis vers. satis etiam Cod. de reuocand. donat. tenet Tiraq. plura adducens in lege si vnquam verbo libertis num. 45. & 46. Cod. eodem titulo: quia etiam dicitur expressum, quod sub ratione comprehenditur, & quod ex eadem ratione deducitur leg. quæsitum scio ff. de testibus leg. si postulauerit §. sed si negauerit ff. de adult. Idem censuit Rota apud Farin. decis. 10. num. 3. tom. 1. par. 1. videat ergo nunc Reuerendissimus Pater quomodo tela, quæ ad suam defensionem, tanquam clipeum adducit in se ipsum retorqueatur?

17 **Ad illudque PP. Carthusianorum iam in meo Discursu Medicinali dixi, numquam esse necessarium, ad cuiusdam** infirmitatis curationem, esum carnium immo potius non assuetis, vt ibi probaui, nociuum erit, & nunc denuò cum hac Plutarchi sententia meum dicere confirmo: *Maximæ cruditates metuendæ sunt ab esu carnium: nam hæ & initio statim pragrauant, & reliquias post se malignas relinquunt, ac optimum quidem erat ita corpus assuefacere, vt nullum id carnium relinqueret esum.* Quod etiam videri corroborat experientia, nam sunt plures nationes, quæ longæuam tuentur vitam, quin vnquam carnes comedant, vt sunt, Iaponenses, Chinenses, Turcæ, multique Affricani, vt variæ narrant historiæ, quas, quia notissimæ sunt, relinquo.

Sed casu, quo caro ad curationem alicuius grauis infirmitatis esset simpliciter moraliter necessaria, PP. Carthusiani deuincti essent illam comedere, vt extra Authores Classicos à me citatos in meo Discursu, sensit Doctissimus Domin. Ioan. Caramuel. tom. 1. Theolog. Reg. Comm. ad Reg. S. Franc.

cap. 3.


cap. 5. fol. mihi 694. *Respondeo, vel iudicari morbum eo deuenisset, vt manifestum sit sine carnibus vitam sustentari non posse, & tunc habetur necessitatis certitudo, & carnes non solum possunt tuta conscientia comedi, sed & debent, peccaretque mortaliter quicumque homo, (etiam Carthusianus) qui certo sciens non aliter, quam esu carnium posse mortem euadere, carnem non ederet; & ratio est quia caro tunc non habet rationem cibi, sed Medicinæ, at casus hic non est possibilis, nam carnes non sunt ad vitæ conseruationem necessariæ; in dubio deberet vesci carnibus, nam in dubio, an carnes sint omnino necessariæ tenentur Decalogo obedire, & suam vitam defendere.*

Confirmatur: quia communis Theologorum sententia est, vt si non esset alius cibus, quam caro, debet Carthusianus eam comedere, quia lex naturalis dictat vitam conseruare debere alimento, tam sanum, quam infirmum, quia nec votum, nec cõstitutio humana obligare possunt cum tam graui discrimine, Accasius Marc. de Velasco tom. 1. Verbo *Cartujos* dicit dictus Caramuel ibi: *Ideo tenetur Carthusianus, qui non habet cibos, nisi carnem illam comedere, quia vitam conseruare tenetur*, vnde si haberet carnes, venenumque, deberet comedere non venenum, sed carnes, at supponimus pisces ægroto Carthusiano esse lethales; Ergo, ad vitæ conseruationem non habet nisi solas carnes, ergo illas tenetur comedere.

8 Pro Pœnitente, qui sibi notabiliter vitam abreuiat Sancti Augst. super tex. qui odit &c. damnat illos, qui directè, & positiuè sunt suicidę medijs violentis qualibet via, exemplumque ponit in difinitione Concilij Brancharen. 1. c. 34. ita: *Placuit vt ijs, qui sibi ipsis, aut per ferrum, venenum, præcipitium, suspendium, aut quolibet modo violentiæ inferunt mor-*

mortem nulla pro eis ad oblationem commemoratio fiat, neque cum Psalmis ad sepulturam, eorum cadauera deducantur. Vnde non solum damnat suicidam per ferrum &c. sed per quālibet violentiam positiuam, vel negatiuam, formalem, vel virtualem occisionem, quæ quidem occisio sita est in abstinentia à victu, superfluis pœnitentijs, mortificationibus, cilicijs, disciplinisque sanguinis, qua propter has damnat Concilium Bracharense, & D. Augst. in dicta expositione; & impugnat denuo Gerson. to. 2. tr. de Contractibus, & non esu carniū, vbi interrogans, an ille cui imminet vitę periculū, teneatur carnes comedere, aut mori fame supposito quod non detur aliud salutare alimentum? ad quod sic respondet: *Si diceret aliquis, quod potius eligere habebit mori fame; dicere eundem opportebit ex consequenti, in se ipsum manus inijciet, & suimet erit occisor; Iuxta illud vulgatum Ambrosij: Pasce fame morientem, si non pauisti, occidisti; Neque ad se minus, quam ad alios præceptum hoc extenditur*, & §. sequenti addit sententiam Hieronymi ad eundem finem: dicentis, *quod non refert, si quis per immoratam abstinentiam se paulatim interficiat, aut subito: nam si modus est violentus, & vltra subiecti vires, nullam occisio habet differentiam, siue sit in magno, vel paruo tempore in vno actu, vel in multis*, vt sentit D. Thomas 2. 2. q. 147. de sensu S. Hieronymi: *Non differt vtrum magno, vel paruo tempore te interimas.*

Tandemque D. Bernardus, docet de modo bene viuen. C. 24. *Hoc debet semper obseruari in omni abstinentia, vt non occidas carnem tuam, sed vitia.*



Quibus

Quibus suppositionibus iam confutatis apparebit nostram sententiam multipliciter corroborari.

19 PRimò: ex eo, quod habitus inseparatio in grauibus infirmitatibus rationē boni non habet, cū nihil vtilitatis bono communi, vel personali afferat; vt in simili casu sentit Pater Suarez de Religione tom. 4. lib. 2. de varietate Relig. in specie Cap. 4. §. Circa hoc ergo: vbi loquens de Regulari obseruantia abstinentiæ à carnibus PP. Carthusianorum in maiori vitæ periculo hæc habet: *Et quia in eo casu talis abstinentia nullam habet rationem virtutis, quia neque ad proprium personale bonum, talis abstinentia ad aliquid vtilis est, neque ad aliquod bonum commune; Quod enim emolumentum proueniet Religioni ex eo, quod Religiosus moriatur, ne carnes comedat?* Propter quod quatuor Doctissimi Doctores Parisienses, videlicet Martinonus de Magistris, Almainus, Gerson Maior, & alij relati à Magistro Gonet disp. 5. de potestate legis humanæ art. 4. §. 2. §. demum ad Regulam, asseruerunt abstinentiam à carnibus non solum non obligare, sed etiam, si adsit vitæ periculum, teneri Carthusianum iure naturæ ad illarum esum, & peccare grauiter contra ius naturale de conseruanda propria vita, si ab illis se abstineat: ex quo videtur quam merito ipse P. Suarez verbis supra allatis §. 1. prope finem hæc addat: *Vt si ægrotus nullo modo valeat alijs cibis vti, siue ob pecuniam siue ob conditionem ægritudinis: nam tunc fame potius, quam ægritudine mori sineretur.*

Ex quibus verbis hæc consequentia apparet subsequuta: Ergo si ob infirmitatis conditionem sunt præcisæ habitus separatio,

ratio, & tunicæ lineæ indutio, & habitus non separatur, nec tunica linea induitur, potius sacco, quam ægritudie mori infirmus finitur; quod mihi videtur certissimum, & videri Suarez conforme, vt non minus saccum carnibus Infirmi grauiter ægrotantis applicatum, quam carnium indigentia, coadiuuet grauiter febrem ad salutem totaliter destruẽdam, exponatque infirmum periculo morali vitæ. Nota

20 Secundò: quia nec habitus inseparatio in dicto periculo ædificat populum, immò eum afficit horrore, & ei inhumanum videtur, quemdam Religiosum febris angustias, & anxietates patientem, relinqui habitu carnibus applicato, cùm Superiores debeant illius misereri, in virtuteque Sanctæ Obedientiæ habitus separationem ipsi præcipere, ne crudeles arguantur; qui charitatis principatum obtinent, cui prohibere opera misericordiæ de subleuandis infirmis maximè repugnat, vt Magnus S. Basilius lib. de nostra virginitate in principio narrat: *Quod si proximum tamquam nos ipsos diligere iubemur, at per eius mandati vim illi, qui ait: nudus eram, & operuistis me, esuriens, & refecistis me, infirmus, & visitastis me: in membris tuis studiosè semper Altissimus mandatum pro facto non implet &c.*

21 Tertiò: quia nec habitus separatio, nec tunicæ lineæ indutio in prædictis infirmitatibus possunt esse Regularis obseruantiæ transgressiuæ; quia lex humana non obligat cum vitæ dispendio nisi quando ex eius transgressione bono communi aliquod damnum, siue temporale, siue spirituale nascitur, vel timetur fidei contemptus; sed ex habitus separatione, & tunicæ lineæ indutione in dictis infirmitatibus non oritur aliquod damnum, siue temporale, siue spirituale bono communi Religionis, nec timetur fidei contemptus; Ergo inseparatio habitus, & tunicæ lineæ non indutio

non

non obligant cum dispendio vitæ, & consequenter habitus separatio, & tunicæ lineæ indutio non sunt Regularis obseruantiæ transgressiuæ. Maior præterquam est plurimorum Theologorum sententia, vt videri est apud Conet. disp. 5. de potest. leg. human. art. 4. per totum, docetur à Nicolao 3. in cap. exijt de verb. signific. in 6. §. ne quidquam; quia licet lex humana ob commune bonum, aliquando obligat cum dispendio vitæ, hoc videtur, quando eius transgressio est publico bono nociua, nam in extrema necessitate non iam lex humana, sed naturalis obligat leg. tutor. ff. de administratione tutoris leg. vt quadratim §. 1. ff. de muneribus, & honoribus leg. aliquando, ff. de offic. pro cons. cap. licet de ferijs cap. quando de consuetudine dicto cap. exijt col. 4. in fin. de verb. signific. Minor, in qua sita est difficultas, probatur; Non minus lex humana de Ieiunio Quadragessimali inducit in fideles obligationem, vt in Quadragessima ieiunent, & à carnibus se abstineant, quam lex, vel consuetudo de inseparatione habitus ligat, vel obligat PP. Capuccinos, at qui ex transgressione ieiunij, & carnium comixtione infirmis permissa, non oritur damnum, nec spirituale, nec temporale fidelibus, siue bono communi Ecclesiæ, nec timetur fidei contemptus Ergo ex habitus separatione in dictis infirmitatibus non oritur damnum spirituale, vel temporale bono communi Religionis Capucc. nec timetur fidei contemptus. Maior, ex terminis videtur certa, Minor constat ex communi praxi Ecclesiæ, vnde optimè infertur consequentia.

22 His omnibus disputatis contentus sum confessione Partis: quia Reuerendissimus Pater Procurator Generalis Capuccinorum pro sua informatione inter alia hæc adducit verba: *Non puto aliquem Superiorem Capuccinum*

Nota

nega-

negaturum lineam tunicam infirmo, quem Medicus iudicaret sine eius beneficio moriturum, sicut non negarunt Capuccini camisciam pthysi, vel lepra infectis, cum Medici illam esse necessariam ad curationem affirmarunt &c. Ergo secundum hanc propositionem in omnibus casibus, in quibus Medici iudicent esse necessariam tunicam lineam ad curationem concedetur à Superiori Capuccino camiscia infirmo toto tempore eius vrgentiæ: Ergo in hoc, sicut in cæteris alijs necessarijs ad curationem standum est iudicio Medici, & ita est in praxi obseruatum per dictos RR. PP. in pthysi, & lepra laborantibus, vt asserit dictus Reuerendissimus Pater Procurator Generalis in sua informatione, & sic in quocumque morbo postulante necessariò tunicam lineam ad sui curationem est concedenda camiscia pro tempore dictæ vrgentiæ à Superioribus Capuccinis suis infirmis filiolis; ☞ hoc enim est totum quod intendo non enim in omnibus morbis, sed in illis tantùm, quibus sit necessaria tunica linea ad eorum curationem, & cum Superiores Capuccini non ausi sint negare tunicam lineam suis infirmis tali beneficio indigentibus, quia esset contra legem Charitatis, ita non audeant Fratres infirmi Capuccini tempore vrgentiæ camisciam respuere, quando Medici iudicent esse necessariam ad eorum curationem, quia lædent propriam charitatem, sicut si non obtemperarent Medicis in alijs necessarijs suæ saluti. Nota

23 Denique arguo RR. PP. Capuccinos de inconsequentia, quia dicti RR. PP. concedunt suis infirmis febre ardenti laborantibus stratum è lana confectum cum linteis ad solatium corporis æstuantis: hæc concessio est inutilis immò nociua, si dicti infirmi habitu non expolientur, & tunicam lineam sumant, quia lintea non fouent corpus, nisi medio contactu physico, & si ægroti succingant habitum laneum

ad

ad fouendum sindone plus calescent duplicato habitu laneo supra pectus, vbi est focus caloris febrilis, & crura tepescent cum maiori ægrotantium periculo; & sic inconsequenter videntur RR. Patres Capuccini operari in ministrando tali charitate suis filiolis ægrè decumbentibus.

29 Et pro cōplmento stet D. Augustini sententia tract. 12. in Ioan. sub fine qui adeo sanctissimè nobis scriptum reliquit. *Quantum in Medico est sanare venit ægrotum ipse se interimit, qui præcepta Medici obseruare non vult.*

Errata.	Corrige.
Pag. 3. lin. 11. contra	*contra*
Pag. 3. lin. 22. aphorismo.	*aphorismos.*
Pag. 3. lin. 22. scriptos.	*scriptos.*
Pag. 4. lin. 10. & 11. de de	*de.*
Pag. 4. lin. 23. inuentur	*inuenitur*
Pag. 6. lin. 6. fine	*siue*
Pag. 6. lin. 12. crit	*erit*
Pag. 7. lin. 4. falutc	*salute*
Pag. 10. lin. 17. texrus	*textus*
Pag. 10. lin. 19. intelligiuntur	*intelliguntur*
Pag. 13. lin. 14. temporc	*tempore*
Pag. 15. lin. 12. Atraxe	*Antraxe*
Pag. 15. lin. 28. consuetude.	*consuetudo*
Pag. 16. lin. 1. Patruum	*Patrum*
Pag. 16. lin. 15. cira	*circa*
Pag. 16. lin. 28. sillabam	*syllabam*
Pag. 17. lin. 5. Reaerendissimi	*Reuerendissimi*
Pag. 19. lin. 8. negauerit	*negauerit*
Pag. 20. lin. 25. Sancti	*Sanctus*
Pag. 20. lin. 28. Branchoren	*Bracharen.*
Pag. 21. lin. 27. debet	*debes*
Pag. 23. lin. 2. ægritudie	*ægritudine*
Pag. 24. lin. 16. Onadragessimali	*Quadragesimali.*

PRIMVM PVNCTVM,

In quo probatur dari morbos graues, & acutos, ad quorum curationem necessarium est ex suppositione, quod P. P. Capuccini exuantur veste lanea aspera, quam tempore sanitatis gerunt, & durante infirmitate induantur tunicis, lineis, linteisque vtantur.

Ad huius Puncti probationem tamquam certum in Medicina præsupponendum est.

1 RIMO: omnem Methodum Curandi morbos pendère ab hoc generali principio, scilicet: *Contraria, Contrarijs curantur*, & per signa generalia, subalterna, & specifica desumpta à principio insito ipsi rei molestæ absq; ratiocinatione, & experientia inuenitur in contrario remedium ipsi morbo; ità vt, si corpus nimio Calore afficiatur, leuat se aliqua veste, frigus quærendo, idem verò nimis repletum, euacuationem appetit, & hoc prouenit ex ipsa rerum naturali propensione, quà ad sui conseruationem mouentur, determinantur, & ordinantur omnia ad bonum, quod in contrario reperiunt, vt

 egre-

egregiè notat Reuerendus Pater Ricardus Lince, ex Societ. Iesu lib. 2. Physic. tract. 4. de apet. innato desent. Plat. in Lyside: *Vnum quodque appetere non simile, sed contrarium, & aridum appetere humidum; frigidum vero calidum; amarum dulce; acutum obtusum; vacuum repletionem; plenum vacuitatem, cæteraque similiter; contrarium enim contrario alimentum præbere; simile autem simili minimè frui &c.*

2 Secundò: contraria supradicta debère esse maioris intensionis, vel saltem æqualis; & quia qualitates manifestæ non habent eandem actiuitatem, vsu venit necessarium esse ad vincendum nimium calorem, vt nos adhibeamus non solum remedia intrinseca, sed etiam extrinseca, quæ adiuuent, & perficiant indicium specificum ad cohibendum symptoma, &ità remedia extrinseca, quæ exterius corpori adhibentur V.G. Balnea communia, vntiones, emplastra, fomenta &c. per se sola, aut simul cum medicaminibus internis existimantur necessaria ad curationem plurium morborum.

3 Tertiò: vestis lanea, asperaque, & tunica linea sunt contraria, vt sunt asperum, & lene iuxta Cicer. lib.2. de fin. & producunt effectus contrarios suo contactu physico: quia vestis lanea est sicca in excessu, & calida; vestis autem linea est humida in excessu, & temperata, vt ex vnius asperitate, & alterius lenitate cognoscitur, & refert Gal. 5. de simp medic. facult.cap. 4. & 5 & Ioannes Damascenus Mesue in suis Canonibus vniuersalibus. Effectus vestis laneæ asperæ, tamquam

quam medicamenti ſicci ſunt rarefactio , exiccatio, attenuatio, & huiuſmodi. Effectus vero veſtis lineæ, tamquam materiæ humidæ, & calore , & frigiditate temperatæ , iuxtà Dioſcoridem , & Lagunam in ſuo comment. cap. proprio, ſunt humectatio, lubricitas, lenificatio, & glutinatio, ibi Meſſue: *Aſperum à ſicco, ſiccam vero medicinam conſequentur , deſiccatio , rarefactio, attenuatio, & ſimilia*, & infra: *Lenitas ab humido humectatio, lubricitas, lenificatio, conglutinatio &c.* Vnde veſtis lanea rudis ſupra carnes poſita poros aperit, humores extenuat, & exiccat, tactum ſua aſperitate lædit, iuxtà Ariſtotel. cap. de qualit. in Categ. & æſtiuo tempore carnibus conglutinatur, eaſque calefacit, & exiccat; Hyeme vero propter ſuam inæqualitatem corpori non adhæret, ideoque permittit, vt aer ambiens magis penetret, offendat, & frigefaciat corpus, è contrà veſtis linea poros ſtipat, tactui placet, & per ſuum temperatum calorem in æſtu refrigerat, & ſtipando poros calefacit in hyeme corpus, illud defendendo ab vtroque exceſſu, vt conſtat experientia, & id clare apparet in aqua moderatè calida, quæ feruenti addita, illam attemperat, eiuſque calorem retundit, addita verò frigidæ, eius frigiditatem moderatur; idemque patet in ſaccaro, quod ſua temperie intenſum ardentis aquæ calorem, & aquæ frigiditatem coercet: hoc idem experimur in cera; alijſque rebus ſimilibus.

Sic Argumentor.

4 PRimò : illud ad morbi curationem eſt ex ſuppoſitione neceſſarium, ſine quo talis curatio haberi non poteſt; ſed morborum grauium, & acutorum curatio, niſi corpora exuantur veſtibus laneis, & villoſis, & induantur veſtibus lineis, haberi non poteſt; Ergo hæc duo erunt ex ſuppoſitione neceſſaria ad tales morbos curandos maior eſt certa, minor probatur: vna ex neceſſarijs indicationibus ad medendum ſudoribus diaphoreticis, & ſincopalibus, eſt, vt medicaminibus externis corporis, pori conſtipentur, ne viuens pereat, dum cauſa non corrigitur; hæc indicatio haberi non poteſt, niſi corpora exuantur veſtibus laneis, & villoſis, induanturque veſtibus lineis; Ergo dantur morbi acuti, ad quorum medelam neceſſe eſt, vt amoueantur veſtes laneæ, & villoſæ, adhibeanturque veſtes lineæ; Minor probatur; Primo; Quia aſperitas veſtis laneæ, & villoſæ ſuo phyſico contactu magis poros aperit, & humores attenuat, quapropter ſudores erunt abundantiores, ſiquidem exiſtente cauſa efficiente, effectus minimè ceſſare queunt. Secundo; quia habitus laneus adhærens corpori impedit applicationem remediorum neceſſariorum dictis morbis curandis; ſiquidem omnes Authores medicinę mandant, vt pori claudantur ad occurrendum manifeſto, & ſubitaneo vitæ periculo, obruendo infirmos niue, aut lineis linteis aqua roſacea,

aceto madefactis, illos inuoluendo; quę omnia fieri non possunt; nisi corpora exuantur vestibus laneis, & villosis, induanturque vestibus lineis.

5 Quod autem indicatio stipandi poros externis medicamentis specifica sit, & necessaria ad curationem dictorum sudorum, manifestè patet; quia subtilitas cutis *est causa, sine qua non* Sudor potest esse tam abundans, vt ægrotum summopere eneruet, sicut ait Gal. lib. 3. de causis caus. simp. cap. 2. & 3. itaque cutim stipare necessarium est, vt præcipit Gal. 12. Meth. cap. 6. Auicen. fen. 1. lib. 4. tract. 2. Paulus Egin. lib. 2. cap. 38. Aecius tract. 2. serm. prim. cap. 98. Alexander Masser lib. 5. de feb. ad fin. cap. 2. fol. 414. Amat Lusytan. cent. 7. obs. 99. Petrus Michael de Heredia in Syntagma vniuersali de feb. cap. prop. Aloisius Monc. tom. 2. lib. 6. de feb. cap. de tertiana perniciosa. Petrus Garzia Carrero de feb. supra Auicen. Alijque practici per hæc, vel alia similia verba: *Omni ratione curantes, vt succorum materiam crassiorem reddamus, & cutim densemus, & exhalationem inhibeamus, idque tam ijs, quæ foris admouentur, quam ijs, quæ intro summuntur.*

6 Prob. secundo: in febribus ardentibus, & valdè periculosis tempore æstiuo communibus, omnes Authores Classici ob indicationem immensi caloris, & ambientis calidi, præcipiunt temperata frigora, & humida, tam interius, quàm exterius applicanda toti corpori, vel pluribus eiusdem partibus, ne ægroti, spasmo, aut conuulsione correpti pereant. Ità sentit Gal.

Gal. 1. de diff. feb. cap. 9. *In eandem vero incidunt febrem ex accidentibus, atque acutis febribus plures, qui rectè curati non sunt, ac præsertim, qui cum aquæ frigidæ potu indigèrent, præter id, quod eam non biberunt, nullum aliud refrigerans medicamen thoraci, ac præcordijs ad biberunt*. Hoc idem corroborant Auicen. Æcius Valles lib. 4. meth. num. 553. Trallianus, & Sach. cap. 28. Fonseca, & Petrus Garzia de feb Petrus Michael de Heredia in Syntagma vniuersali cap. prop. sic ait: *Nec sunt parui momenti in curatione huius mali extrinseca attemperantia &c.* Et eadem indicatione prosequitur examinando grauia accidentia euentura, nisi indicatio perficiatur attemperantibus externis, his verbis: *Magnæ enim intemperies, vt in causone dantur, vrgent semper, ob quod timemus, ne Erysipelaceus affectus confirmetur in aliquo viscere, aut magna fiat ad locum æstuantem succorum conuocatio, aut in eo, qui sunt, corrumpantur maligne, & præ magna intemperie coqui nequeant, fit etiam in ea parte indigente copia vitalis caloris à tanta intemperie magna caloris resolutio, & molestia æstuationis ægros anxios, & inquietos tenens mitigatur mirificè, quo circa magni momenti est viscera æstuantia contemperare &c.* Vnde super abundantis caloris indicatio in febri ardenti, secundum dictos Authores omnemque scholam Medicam summopere postulat, ad sibi satisfaciendum necessaria attemperantia, tam interna, quàm externa, ne infirmi suffocentur: Sed sic est, quod hæc indicatio refrigerandi exterius ità necessaria, & specifica haberi nequit, nisi amoueatur vestis lanea, & adhibeatur ve-

stis

ſtis linea ; ergo ad curationem dictarum febrium opus erit remouere habitum laneum , & admouere veſtimenta linea. Minor experientia probatur, ſiquidem ad ægrum æſtuantem refrigerandum *eſt conditio, ſine qua non* , quod infirmus expolietur aliquibus veſtimentis , quia ſi veſte lanea indutus remaneat ægrotus, & frigidæ vnctiones ei adhibeantur , eſt fruſtra operari.

7 Prob. Tertiò ad curandam febrim habitualem præſcribitur tamquam remedium neceſſarium , & indicatum ſpecificum Gal. lib. 10. meth. cap. 20. totaque eius ſchola , aquæ dulcis communia balnea ; hæc non remoto habitu laneo , & adhibito veſtimento lineo , ſubminiſtrari nequeunt ægroto ; ergo ad huiuſmodi curationem , remotio habitus lanei , & approximatio veſtimenti linei præcisè eſt neceſſaria.

8 Prob. Quartò Eryſipelas malignum externum cum totum corpus inuadit, ita cutis inflammatur, vt ex neceſſitate molliſſima quæque remedia requirat, ita ipſamet ratio dictat, iubetque Gal. 7. per gen. cap. 9. ibi: *Inflammata ob dolorem molliſſima deſiderant medicamenta.* Hæc tam neceſſaria indicatio , ad dicti morbi curationem aſperitate veſtis laneæ fieri non poteſt ; ergo ad eius medelam detractio veſtis laneæ, & aſſumptio veſtimenti linei neceſſaria erit.

9 Prob. Quinto rerum calidarum proximitas phyſico ſuo contactu corpus calefacit, & eſt cauſa infirmitatis calidæ iuxta Gal. lib. 2. de cauſ. morb. cap. 2. veſtis lanea rudis eſt calida ; ergo contactu ſuo phyſico corpus cale-

calefaciet, eritque causa, vt febris duret; ergò ad hanc tollendam necessaria erit habitus lanei expoliatio, quia præsente causa conseruante nequit cessare effe-ctus.

10 Prob. Sextò ponamus vnam ex causis infirmitatis calidæ tempore æstiuo producere in corpore colerico duos gradus caloris præternaturalis v. g. qui sint illud maximum caloris, cui infirmus adiutus medicamine resistere possit; si iste infirmus vestitus fuerit veste lanea habebit plures gradus caloris præternaturalis, quos non poterit superare auxilio Medicinæ propter il-lum calorem, quem ipsa vestis lanea producit, & ipse ægrotus ante statutum diem morietur, cum sibi accele-leret mortem non exuendo se veste lanea, vt Raymundus Lullus asserit his verbis: *Vnicuique vitæ terminus est statutus, quem nullo ingenio transgredi possumus; sed intra terminum mortem accelerare in promptu est omnibus; ideò a medicina petendum remedium, quo corpus nostrum à putredine præseruemus, & Infirmum curemus, donec ve-niat is postremus dies à Deo præstitus*: confirmatur a Be-berouicio lib. de præfix. vitę termino sic: *Hinc nunc infero vti, itaque fit cum vegetabilibus brutis animantibus, vt viuant, vt supersint vsque ad terminum determinatum vitæ vnicuique ordinariæ, si cum vnoquoque eorum adhi-beantur illæ causæ, quas Deus ad id constituit, si non ob-seruentur, aut negligantur non assequentur illum terminum, id itaq; volente hoc disponente summo nostro rerum Aecono-mo. Sic inquam fit quoque cum hominibus. Idque dis-pensatione magna eiusdem Aeconomi, vt si causas secundas*

ccu-

conseruandæ valetudinis, aut restaurandę veras, & oppositas adhibeat, eam obtineat, & eam obtineri ipse Deus velit, quamdiù vitæ terminus proportione vniuscuiusque physici temperamenti est ab eo constitutus; si causę non adhibeantur collabitur valetudo, & vita ante positum semel à Deo, & concessum eius terminum. Et cum spatio vnius anni indicta suppositione quam plures possint esse Infirmi, sequitur, quod omnes isti mori permittentur, quia non coacti fuerint exuere se vestibus laneis, atq; adeo ad eorum curationem necessaria erit depositio vestis laneæ, & assumptio linei vestimenti.

11 Prob. Septimò vsu balneorum naturalium diuersorum mineralium curantur infirmitates longæuæ, & periculosæ, quibus medicamenta communia mederi non possunt, vt experientia constat, & docet Gal. lib. de simp. medefac. lib. de sanit. tuen. lib. de trem. & rigore. Hoc efficacissimum, & multoties vnicum remedium absque detractione habitus lanei, & assumptione linei vestimenti RR. PP. Capuccini experiri nequeunt; igitur detractio vestis laneæ, & assumptio vestimenti linei ad curandum istos morbos necessarijssima est, quando terminus annorum est præcisè præfixus.

12 Prob. Octauò in infirmitatibus longæuis, & periculosis, vt sunt Paralysis, Scotoma, dolores antiqui, Ischias, Paralytici morbi &c. medicamina sudorem excitantia, tam interna, quàm externa adhibenda esse ad earum curationem tota schola medica docet, atque experientia ipsa testatur multoties illa esse vnicum, & singulare remedium, horum vsus absque habitus la-

nei depositione, vestisque lineæ assumptione efficaciter haberi non potest; ergo huiusmodi depositio, & assumptio necessaria est ad talium infirmitatum curationem, quando supradicti sudores sunt singulariter indicati. Minor patet; quia veste lanea carnibus adhærente non solum potiones sudatoriæ non producent suum effectum, sed ex his maius malum deriuabit, sudore denuò intra corpus clauso ob impedimentum tunicæ laneæ, & defectum tunicæ lineæ, quæ instar spongiæ ipsum sudorem attraheret; qua de causa D. Fr. Bartholomęus de Martyribus Archiepiscopus, & Dominus Bracharen. vir summæ pœnitentię addictus, coactus fuit se exuere tunica lanea, qua semper super nudas carnes vtebatur, & vestire se lineo vestimento, quamdiù adhibuit medicamina sudatoria ad curandum vlcus sui cruris, quia Medici ad id, illum ex conscientia obligarunt, secus enim non ei profuissent sudores, vt notat Aloysius Muñoz in vita eiusdem Sancti Archiepiscopi cap. 16. de asperitate, qua idem sanctus afficiebat suum corpus.

13 Vltimo est sententia Gal. experientia confirmata, quod non potest diù subsistere calor naturalis respirante viuente per os, nares, totumque corpus aerem calidum, quia statim ex defectu aeris frigidi conseruantis animal suffocatur; vt ait Phylosophus, & illi, qui in balneis calidis aliquantulum morantur, vel detinentur, resoluuntur, & suffocati moriuntur ex supradicto defectu aeris frigidi conseruantis, & qui cooperti sudare coguntur, si aerem calidum respirent statim animam

mam exhalant, vt docet Gal. lib. de vtil. resp. cap. 4. ibi: *Quod si illos pallijs contectos callidum aliquid respirando haurire coegèris, confestim suffocari*. Natura enim ex his duobus calido, & frigido pendet, ijsdemque ad sui conseruationem indiget, vnde vno ex illis deficiente perit: vt sentit Philosophus cum Hipp. de diet. & Arist. de temperamento aquæ, & ignis, loquens, ait; *temperamentum enim omne calidi, & frigidi est; quippe cum ex his duobus natura seruetur, & constet*. Qua propter Doctissimus Franc. Valles lib. 1. meth. medendi loquens de tegmine, quo vti debent laborantes febri ad sui faciliorem curationem, vt habeatur ratio cooperiendi ægrotos, secundum eorum vires ne ipsi suffocentur hoc, vel alio modo: *Quamquam huius quoque rei debet esse modus pro ratione virium, is autem erit, ne angantur ægroti, hoc enim etiam modo non minus, quam alio quouis possunt ægroti suffocari*: Ergo, si Pater Capuccinus laboret ardenti febre tempore calido destitutus viribus, veste lanea rudi contectus aerem calidum respirando, sine dubio suffocari poterit defectu frigidi conseruantis; igitur, vt prædictus Religiosus rationali Methodo curari possit, & consequenter eius vita conseruari à periculo mortis, necesse erit, vt expolietur habitu laneo, & induatur lineo vestimento toto tempore, quo durabit illud accidens periculosum.

PVNCTVM SECVNDVM,

In quo disputatur, an ad curandos aliquos morbos acutos, facta suppositione, quod sit necessaria depositio vestis laneæ, & necessarius vsus vestimenti linei, quamdiù duret talis morbus, an, inquam laudabilis, & meritoria sit obseruantia apud RR. PP. Capuccinos non exuendi habitum laneum, etiam si immineat periculum mortis, nisi deponatur talis habitus?



NTELLIGENTIA difficultatis consistit in hoc, an PP. Capuccini graui morbo laborantes, possint tuta conscientia vti habitu laneo, & rudi in decubitu, vt de facto ob communem obseruantiam mortificationis, & patientiæ donum ijdem PP. seruant, quamuis periclitentur vita, & aduersentur consilio periti Medici, vel ijdem obligentur laborantes huiusmodi morbis acutis ad exuendum habitum laneum, prout doctus Medicus ad recuperandam sanitatem, censuerit esse necessariam?

Sit

SIT ERGO NOSTRA SENTENTIA.

Consuetudo, & communis PP. Capuccinorum obseruantia, qua iubentur decumbere induti suis consuetis vestibus, etiam in grauibus infirmitatibus, quamuis illis immineat manifestum periculum mortis, videtur esse mortificatio immoderata, & per consequens, nec laudabilis, nec meritoria.

Præmittuntur aliqua prænotanda ad nostræ Conclusionis probationem, maioremque illius claritatem.

1. PRimò: supponendum est cum Illustrissimo Domino Ioanne de Caramuel Episcopo Missiense super annotationes Diui Bernardi fol. 50. num. 103. ad regulam Diui Benedicti per hæc verba: *Iure naturæ aliqua indicuntur, aliqua conceduntur; non enim omnia, quæ conceduntur, indicuntur, & vt alia omittam, honesta recreatio conceditur, non imperatur, licèt ducere vxorem, licèt castitatem vouère, licèt cælibem vitam agere; nemo tamen iure naturæ obstringitur, vt hunc eligat statum, & non alium, multa sunt ad vitam conseruandam præcisè necessaria; multa ad robustius conseruandam vtilia; illa præcipiuntur, hæc permittuntur, potest quis cedere iuri vtendi rebus, quas concedit natura, potest illæsum abstinentiam vouère, & iurare, potest acceptare legem, quæ illa interdicat, cæterum contra naturale præceptum nulla est cessio, nullum votam, nullum iuramentum, nullum præceptum validum.*

Se-

2 Secundò: tria genera morborum solent aggredi aliquod subiectum, quorum aliqui curantur a sola natura summa facilitate; alij possunt quidem curari à sola natura, sed cum difficultate: alij deniq; sunt morbi tam graues; maligni, & pestilentes, vt eis natura se sola mederi non possit; adeoque indigeat auxilio artis medicæ; totum id experientia patet, vt clarè deducitur ex Ecclesiast. 38. num. 7. *In his curans mitigabit dolorem, & vnguentarius faciet pigmenta suauitatis, & vnctiones conficiet sanitatis* &c. Vnde clarè colligitur per illa verba *suauitatis, & sanitatis*, & magis inferius per sequentia, *& non discedat a te, quia opera eius sunt necessaria*, quod ars medica ad aliquos morbos sit vtilis, ad alios verò necessaria; ità quædam remedia sunt vtilia, & coadiuuantia, alia sunt necessaria ex suppositione ad expellendos morbos; potest ergo ægrotus ob mortificationis bonum conseruandum, etiam in accidenti periculoso respuere id, quod sibi sit consolationi, sed non necessarium ad curationem morbi, vitæque suæ conseruationem.

3 Tertiò: in Sacra Regula Seraphici P. Francisci, quam ipsi Deus reuelauit, & RR. PP. Capuccini profitentur, nullum Punctum inuenitur, ex quo nec præceptum, neque consilium in ordine ad communem obseruantiam non exuendi habitum laneum in grauibus infirmitatibus, deduci possit, itaque penes prædictos PP. solum est consuetudo ex pietate, & feruenti in Deum amore orta.

HIS

HIS SVPPOSITIS.

Sic nostram Sententiam probabimus.

4 PRimò: illa mortificatio est immoderata, ob quam aliquis se priuat illis rebus, quæ ad vitæ conseruationem sunt necessariæ; sed sic est, quod PP. Capuccini per habitus inseparationem tunicis lineis, linteolisque priuantur, quarum vsus, ad vitæ conseruationem in grauibus infirmitatibus, quas hucusque probauimus, est omninò necessarius; ergo, dicta mortificatio in talibus casibus immoderata videtur: maior est Diui Thomæ 4. sent. disp. 15. vbi dicit: *Immoderatam esse mortificationem cum subtrahuntur necessaria valetudini debita circumstantia locorum, officiorum, & personarum*, & ratio est, quia secundum doctrinam vtriusq; testamenti, vt notat Sanctus Augustinus lib. mor. Ecclesię, *habet vir temperatus in rebus huius vitæ regulam vtroque testamento firmatam, vt eorum nihil diligat, nihil per se appetendùm putet, sed ad vitæ huius, atque officiorum necessitatem, quantum satis est, vsurpet vtentis modestia, non amantis affectu*, minor probata remanet, consequentia infertur.

5 Secundò: ille actus pœnitentiæ est immoderatus, cuius obsequium non est rationale, S. Paulus ad Rom. cap. 12. *rationabile sit obsequium vestrum*: S. Basilius in Breu. reg. 230. ità ait: *rationabile sit obsequium vestrum, vt scilicet considerate, & circumspecte sana ratione, recteq;*

con-

consilio diuinam impleatis voluntatem; vt rationem ducem sequamini, non animi impetum, ac libidinem: & Angelicus Doctor Diuus Thomas ita explicat illud rationabile obsequium vestrum. *Corporis afflictio non sit nimia, sed moderata, & rationabilis*. Sanctus Hieronymus cap. 15. prouer. *Super te onus ne leuaueris*; interpretantur hæc verba de pœnitentijs immoderatis, & supra modum, & vltra vires, & huic sensui accommodat vulgare adagium: *in medio consistit virtus*, vtens his verbis: *modus virtus est, vitium nimietas reputatur*. Quod totum comprehendit hæc breuis sententia: *ne quid nimis*. S. Bernardus sermone de semptom. grad. confes. ait: *nimietatem, aut modum pœnitentiarum intelligenda esse respectu habito ad complexionem, & vires pœnitentis, adeò vt mortificatio, quæ respectu viri robusti rationabilem modum non excedit, & respectu hominis debilis, & infirmi, nimia reputabitur, & quę in homine sano rationabilis est, in illo graui morbo laborante irrationabilis iudicabitur. Discretio autem in hac districtione tenenda est, ne dum nimis flagellare cupimus, salutem perdamus: considera corpus tuum, & corporis tui possibilitatem, intuere carnis complexionem, impone modum tuæ districtioni*.

Sed sic est, quod consuetudo non exuendi habitum laneum, quam PP. Capuccini in grauibus infirmitatibus supra à nobis enumeratis, obseruant, non est obsequium rationabile: ergo hic actus pœnitentiæ immoderatus videtur. Probatur minor; vsus habitus lanei in relatis infirmitatibus est immoderata corporis afflictatio; ergo non est obsequium rationabile. Antecedens

dens probatur ; tempore sanitatis vsus vestis lanęæ est sufficiens afflictio corporis, si quidem huiusmodi vestis ex lana rudi, & aspera contexta per totum annum nudis carnibus adhærens est perpetuum cilicium, quod sanum atterit, & debilitat, à fortiori infirmum opprimet, & prosternet, qua ratione Diuus Gregorius 10. Mor. ita ait: *Abstinentia virtus, aut omnino nulla est, si tantum quisque corpus non edomat, quantum valet; aut valde inordinata est, si corpus atterit, plusquam valet; per abstinentiam carnis, vitia extinguenda sunt, non caro, & tanto quisque sibimet debet moderamine præesse, vt & ad culpam caro non superbiat, & tamen ad effectum rectitudinis in operatione subsistat*: Sanctus Franc. Sal. in introductione ad vitam deuot. 3. par. cap. 23. de hac eadem materia loquens, ità ait: *huius moderaminis defectus in ieiunijs, disciplinis, cilicijs, & asperitatibus florentiores annos multorum ad charitatis exercitium inutiles reddit*, vt accidit D. Bernardo, quem tantæ in adolescentia sua asperitatis pœnituit; & quanto asperius aliqui initio perfectioris vitæ se flagellant, tanto maioribus vitæ commodis in fine se tradere coguntur; hoc idem confirmat S. Mater Theresia à Iesù abis. 12. & 4. & per Fra. Hyeron. Gratian. Matris Dei eius Prou. admonens suum Prouincialem, vt multum laudet pœnitentiam, & quemlibet excessum corrigat, & nimietatem ciborum, dummodo non lędat salutem, quia omnis pœnitentia, asperitas, & contemptus auxiliantur valde spiritui; & S. August. cap. 2. suæ reg. hoc idem affirmat sequentibus verbis: *distribuetur vnicuique vestrum à*

præposito vestro victus, & tegumentum non tamen omnibus æqualiter, sed potius vnicuique sicut cuique opus fuerit; & allegat actus Apostolorum cap. 11. *carnem vestram domate ieiunijs, & abstinentia escæ, & potus quantum valetudo permittit.* Huic opinioni adstipulatur S. Benedictus cap.4. suæ reg. *cum aliqua scrupulositate à nobis mensura victus, & vestitus aliorum statuitur propter diuersitatem complexionum, & virium subiectorum, qui eam regulam professuri erant:* vnde si prædicti PP. Patriarchæ, pœnitentias, ieiunia, & cilicia, quæ vltra subiecti vires sunt, prohibent, ne sanitatem amittant; maiori ratione infirmo graui morbo laboranti propter exiles vires, & imminens vitæ periculum illas vetabunt, in quo propter cilicium villosæ vestis nudis carnibus applicatę est afflictatio immoderata.

6 Tertiò: afflictatio corporis proueniens ab asperitate indumenti lanei, quæ licet, & decet tempore sanitatis, dedecet ægrotum graui morbo laborantem; ergo tunc immoderata erit. Antecedens probatur; dicta afflictatio periculum vitæ, vt multoties probauimus, notabiliter auget; ergo dedecet ægrotum graui morbo laborantem. Consequentia est certa, quia homo iure naturali, & Diuino suæ vitæ custos, salutisque administrator est, & ei non licet operari, quod sibi nocet, ob quam rationem Ieiunium, quod honestum, conueniens, licitumque est tempore sanitatis, non licet tempore infirmitatis, propterea quod in magnum vitæ præiudicium redundat. In cuius consideratione, egregiè dixit Diuus Bernardus lib. 3. de consideratione

ne ad Eugenium; hominem spiritualem sua opera trina consideratione præuenturum esse. Primo an liceant, deinde, an deceant, postremo, an conueniant, quia quamuis verum sit, quod in Christiana philosophia non decent nisi, quæ licent; nec expediunt nisi, quæ decent, & licent, etiam indubitatum est non semper conuenire totum id, quod licet, & decet; exemplum extat in prædicto ieiunio, similibusque afflictationibus, & cruciatibus corporis, quæ quamuis liceant, & deceant, non tamen conuenit illis vti omni tempore: per hæc verba: *Spiritualis homo ille, qui omnia diiudicat, vt ipse à nemine diiudicetur, omne opus suum trina consideratione præueniet: Primo an liceat; deinde, an deceat, postremo, an expediat; nam si constat in Christiana vtiq; philosophia non decere, nisi, quæ licent; non expedire nisi, quæ decent, & licent, non continuo tamen omne, quod licet decere, aut expedire consequens erit.*

7 Quartò: illa corporis afflictatio immoderata est, cuius exercitium vera prudentia non moderatur; sed iste factus non exuendi indumentum laneum in grauibus infirmitatibus vera prudentia non moderatur: ergo talis afflictatio immoderata videtur. Maior est Diui Gregorij 2. mor: qui aperte fatetur: *absque prudentia nullam esse virtutem: quod cæteræ virtutes, nisi ea, quæ appetunt, prudentèr agant, virtutes esse nequaquam possunt.* Magister Alfonsus Villeg. in vita S. Antonij Abbatis 1. par. in conferentia quadam spirituali cum suis subditis habita ita loquitur. *Quod magis perfectionem iuuat prudentia est; quia cætera virtutum exercitia, nec Deo placent,*

nec actus virtutis sunt, si à prudentia non regantur: idem docet S. August. lib. 83. q. 31. & lib. 10. de ciu. 14. in prouer. 114. S. Petrus 4. *estote prudentes, & vigilate in orationibus.* S. Paulus ad Titum 2. & ad hoc ipsum nos hortatur Iesus Christus Dominus noster apud Diuum Matthæum 10. & 15. & S. Lucam 18. *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut Columbæ;* & exemplo Virginum prudentum: idemq. Angelicus Doctor D. Thomas 2. 2. qu. 47. art. 7. nos docet, & refert Arist. 2. Ethic. cap. 14. S. Ioannes à Cruce Doctor myst. lib. 1. noct. obscur. cap. 6. cum communi Sanctorum Patrum, cumque Diuo Bernardo serm. 49. in Cantic. per hæc verba: *Discretio est moderatrix, & auriga virtutum, affectuum, morum, omni virtuti ordinem ponit. Ordo modum tribuit, & decorem, & perpetuitatem: tolle hanc; virtus vitium erit.* Minor probatur; exercitiorum virtutum directiuà prudentia non solum quando, & vsque ad quem terminum vtendum sit hac, vel illa virtute morali, intellectuali, aut Theologica, determinat, sed etiam quando ab actu virtutis cessandum sit, & tempora distinguit ad inseruiendum necessitati humanæ, rerumque vicissitudinibus, vt tenet Angelicus Doctor D. Thomas 2. 2. art. 2. qu. 58. & Eminentissimus Cardinalis Caietanus in suis commentarijs super tex. S. Gregorij 2. mor. per hæc verba: *Quod prudentia licèt diuersimodè omnium tamen virtutum actus dirigit, quia scilicet, in omni actu virtutis oportet actum rationis aliquem ad prudentiam spectantem; puta consiliari, iudicare, vel præcipere rectum, concurrere; sicut in omni*

actu

actu vitij defectum alicuius eorum opportet interuenire; verum quia actus rationum huiusmodi respectu aliquarum virtutum, puta moralium. & artis principantur, respectu autem aliquarum, vt intellectualium, reliquarum, & theologalium famulantur, & ministrant, vt Medicus sanitati quemadmodum in sexto Ethicorum dicitur; id circo cum excellentia dictarum virtutum stat, quod dirigantur à prudentia, manifesta autem est directio, quo ad actus exercitium. Prudentis siquidem est, & vtendum hac, vel illa virtute morali, & intellectuali, sed etiam theologica, non enim est semper actu elicito amandus Deus, nec semper actuali assensu credendum, sed oportet alijs quandoque intendere actualiter, & quietem ab omni actu virtutis eligere, quandoque dum in corpore hoc peregrinamur, huiusmodi autem vicissitudines nisi prudentia dispenset, errabimus sæpè, & multa, ad quæ tenemur omittemus bona simpliciter, vel tempore debito, dum tempus misericordiæ occupabimus oratione, vel è conuerso. & tempus audiendi, prouidendi, vigilandi &c. occupabimus contemplatione speculatiua; vel è conuerso, & sic de alijs.

Sed afflictatio corporis proueniens ab indumento laneo nudis carnibus continuo adhærente in PP. Capuccinis est absque intermissione termini, & distinctione temporum sanitatis, & infirmitatis; ergo eius exercitium non videtur dirigi à prudentia.

8 Confirmat, & corroborat hanc doctrinam Diuus Bonauentura tract. de sex alis Seraph. de 2. ala. Prælat. cap. 4. regulæ P N. Francisci expositor, vbi asserit, quod corporis infirmitas triplex est distribuendo infirmitates

mitates corporis in tres classes. *Primi sunt infirmi decumbentes in lectulis, vel acutis, vel alijs infirmitatibus laborantes: alij sunt infirmi per domicilium, vel etiam per terram quandoque deambulantes, & tamen sæpè grauibus doloribus afflicti, vt calculosi, infistulati, ponderosi, & similes: tertij determinatam infirmitatem non habentes, sed tamen corpore debiles, & viribus exhausti, vt senes, & laboribus confecti, vel naturali infirmitate depressi, sed quandoque accidentali languore ad tempus afflicti*: his, ait secundum tria dictamina pietatis subueniendum esse à Prælato. *Primis, ait remedijs medicinalibus, si congruè potest fieri; secundis, relaxatione rigoris in victu* (nota) *vestitu, vigilijs, & huiusmodi: infirmis tertiæ classis subueniendum esse ait exceptione laboris, seruitijs, discursibus, & huiusmodi, prout cuiuscumque necessitas exquirat*; & vt vno verbo tria hæc dictamina pietatis circa tres dictas classes infirmorum distribuat, ita concludit: *ita quod primis de primo, secundis de secundo, tertijs de tertio iuxta singulorum exigentiam speciali succurratur*. Igitur si Sanctus Doctor præcipit Prælato, vt Religiosis habitualiter ægrotantibus relaxatione rigoris regulæ in vestitu subueniat, quando adhuc vitæ periculum est remotum, maiori ratione eodem dictamine pietatis subueniendum erit infirmis actualibus in relaxatione rigoris instituti in vestitu, & habitu, dum hi grauibus, & acutis morbis in lectulo detenti decumbunt cum proximo vitæ periculo.

9 Confirmatur, quod decet aliquo tempore, non decet omnibus temporibus, ait idem Doctor S. Bonauentura

tura

:ura lib. 2. pharetræ cap. 21: vbi citat S. Gregorium in Moralibus, & incipit ita: *Gregorius in Moralibus. Non ·es eadem semper est virtus, quia per momenta temporum sæpè merita mutantur actionum, idem plerumque cum indirectè tenetur, amittitur, cum discretè intermittitur, plus tenetur;* Ex quibus verbis videtur posse inferri, quod afflictatio corporis proueniens ab habitu laneo, quæ tempore sanitatis est virtus, desinat esse talis tempore infirmitatis, & quod in PP. Capuccinis magni æstimatur propter rigorem sui Instituti, nihil aliud sit, nisi durities, & impietas, vt idem D. Bonauentura in proc. Relig. cap. 39. affirmat. *Duritia, & inclementia rigor Ordinis putatur*, & ne forsan aliquis eius sensui se opponeret, addidit illa verba: *Zelus, & Contentio, Dissensio Ordinis appellatur.* Et paulò post; *sciendum itaque est, quod discretio spiritus medium virtutis eligit, non declinat ad dexteram, vel sinistram Regia gradiens via, non dicit malum bonum, & bonum malum, ponendo lucem tenebras, & tenebras lucem, diuidens diem virtutis à nocte vitiorum, ne Angelum Satanæ pro Angelo lucis recipiat, verum à falso distinguens, & quod bonum est, bonum tenens:* & Diuus Gregorius, & habetur dist. 41. cum sæpè se dicit: *Ita sæpè seruitia ingerunt, & se esse virtutes mentiuntur, vt tenacitas, parsimonia; effusio, largitas; crudelitas zelus Iustitia; remissio pietas velit videri:* Idemque sensit Iuuenal. Sat. 14.

Fallit enim vitium specie virtutis, & vmbra.

In infirmitatibus, ad quas curandas medicina est

præcisè

præcisè necessaria, poterit quis propter bonum afflictationis corporeæ respuere id, quod futurum est leuamini suo corpori, non tamen id, quod est necessarium ad sui curationem; Sed sic est, quod depositio habitus lanei, & assumptio vestis lineæ, non solum est leuamini, sed etiam est necessaria ad multarum infirmitatum curationem, sicut probatum est: Ergo in his nullus Pater Capuccinus respuere poterit leuamen prouenie ns ab expoliatione habitus lanei, & assumptione vestis lineæ. cùm vtrumque sit medicamentum necessarium ex suppositione ad curationem dictarum infirmitatum: Secunda pars maioris est certa, quoniam contra ius naturale nulla est cessio, nulla lex, nulla consuetudo valida.

11 Sextò: Tantùm illæ Pœnitentiæ sunt laudabiles, & & meritoriæ, quæ fiunt ex charitate: S. Paulus ad Corinth. *Omnia vestra in charitate fiant:* Sed sic est, quod inseparatio habitus in grauibus, & acutis infirmitatibus non fit ex charitate: Ergo dicta pœnitentia inseparationis habitus in acutis, & grauibus infirmitatibus nec laudabilis, nec meritoria est. Probatur Minor; dicta habitus inseparatio in accidentibus enumeratis aduersatur conseruationi propriæ vitæ, vt probatum est; Ergo non fit ex charitate: Consequentia probatur; Iure Diuino, & naturali tenemur conseruare nostram vitam: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Et in charitatis Ordine à Deo creaturis suis indito, iuxta illud Cant. cap 2. num.4. *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem,* occupat quartum

tum locum vita corporis iuxta S. August. qui dicit: Primò, *quod est supra nos*, *idest Deus*; Secundo, *quod sumus*, hoc est animæ nostræ: Tertiò, *quod est circa nos*, scilicet proximorum animæ; Quartò, *quod est infra nos*, hoc est vita nostri corporis; & id confirmatur à S. Tho. ma in 2. 2. art. 1. & 2. qu. 15. art. 4. & 5. dicente: *corpus nostrum, cum sit à Deo, ipsum quoque ex charitate, quâ Deum diligimus amare debemus &c.* Ergo dicta inseparatio habitus in supradictis infirmitatibus non est iuxtà charitatem, immo potius contra charitatem.

Septimò: Quando præceptum naturale, & consuetudo concurrunt, ambo eodem tempore exequenda, satisfieri debet præcepto, relicta consuetudine: retentio habitus per RR. PP. Capuccinos in suis grauibus infirmitatibus est solum consuetudo; conseruatio propriæ vitæ, & per consequens respuere totum id, quod grauiter offendit, vt est retentio habitus supra nudas carnes, est præceptum Diuinum, & naturale: ergo quotiescumque adimplenda occurrunt simul duo præcepta, quæ eodem tempore adimpleri nequeunt, præceptum impleri debet, & relinqui consuetudo non exhiendi habitum laneum in grauibus infirmitatibus.

Octauo: Dictam corporis afflictationem, nec meritoriam nec laudabilem esse: illa corporis afflictatio non est meritoria, nec laudabilis, quæ gratia fugiendi tactus delectationem, tam præsuppositiuè, quàm formaliter priuat hominem illa re, quæ ad eius vitæ conseruationem necessaria est iuxtà D. Thomam, & Arist. supra citatos; sed sic est quòd PP. Capuccini gratia

tactus delectationem euitandi priuant se vsu lineæ vestis, qui quidem vsus necessarius est ad vitæ conseruationem in grauibus infirmitatibus, vt multoties probatum manet: ergo in prædictis Capuccinis supradicta corporis afflictatio nec laudabilis, nec meritoria erit; & quamuis propter zelum Dei operentur, minimè secundum veram prudentiam esse videtur, & optimè dixit Adrianus 1. ad Corinth. cap. 10. *zelum Dei habent, sed non secundum scientiam*.

14 Nonò, & vltimo: tam necessarium videtur medicamen indicatum ob grauem infirmitatem, quam alimentum indicatum ad vitæ conseruationem; sed P. Capuccinus ob bonum pœnitentiæ, & Dei amorem abstinere se nequit ab alimento indicato: ergo nec se poterit priuare medicamine indicato, quamuis hoc faciat ob supra dictum bonum: maior probatur: ideò alimentum indicatum necessarium videtur ad vitam conseruandam, quia hæc sine illo conseruari nequit, sed absque medicamine indicato ob grauem infirmitatem vita conseruari non potest; ergo in eodem necessitatis gradu sunt medicamen, & alimentum. Maior est certa; probatur minor ex Sacra Scriptura Ecclesiastes cap. 38. per hæc verba: *In infirmitate da locum Medico, etenim illum Dominus creauit, & non discedat à te, quia opera eius sunt necessaria*. Origenes Homill. 37. p. f. ità loquitur: *Creator humanorum corporum Deus sciebat, quod talis esset fragilitas humani corporis, quod languores diuersos possit recipere, & ideo Medico dedit disciplinam, vt si accideret ægritudo, non deesset medicina*. Elegantius necessi-

cessitatem vsus medicinæ probat Origenes tom. 2. cant. celsum sequentibus verbis: *Quemadmodum enim, quia non possunt sine congressu cum vxore procreari liberi, non frustra vxor ducitur, ità quia ex morbo releuari æger, sine ope medicinæ non potest, necesse est medicinam adhibere*. Et Quintilianus ait: *sola est medicina, quæ opus est omnibus, nam licet reliquis artibus egemus; nec semper, nec omnes, huius vtilitate mortalium omnis vita*. Propter hanc necessitatem omnes PP. Theologi asserunt ægrotos sub peccato mortali teneri ad vsum medicinæ, vtpote necessariæ ad vitæ conseruationem, & ad succurrendum humanæ sanitati; & hoc idem clare innuit Iesus Christus Dominus Noster, cum dixit; *beneualentibus non est opus Medico, confirmando infirmos Medico egere*. Hanc doctrinam sequuntur inter alios Hipp. in lib. Isag. eiusque commentatores Valles lib. de Sac. Phylosoph. cap. 74. Heurt. in ora. de Orig. Medicinæ, Tiraquell. de mobil. cap. 32. Ioannes Baptista Peregrin. lib. aduersus Phylosoph. & medicinæ calumniatores Turturet. lib. 2. de nobil Andreas Brau. in c. cler. de iudicijs, Cortes. disc. apolog. medicinæ. Merola lib. de rep. origin. Zachias tom. 1. q. med. legal. Canon. b. tom. 1. in Aphorisim. Gaspar à Reies. Francus in suo Elis. Camp. qu. Gal. lib. de art. paru. & lib. de sanit. tuenda, & alij, quos citat Dominus Gaspar Brauus Ramirez de Sobremonte in disp. Apologetica pro dogmatice medicinæ præstantia sec. 1. resol. 9. §. 11. Sed sic est, quod expoliatio habitus lanei PP. Capuccinorum est medicamentum necessarium indicatum aliquarum infirmitatum,

tactus delectationem euitandi priuant se vsu lineæ vestis, qui quidem vsus necessarius est ad vitæ conseruationem in grauibus infirmitatibus, vt multoties probatum manet: ergo in prædictis Capuccinis supradicta corporis afflictatio nec laudabilis, nec meritoria erit; & quamuis propter zelum Dei operentur, minimè secundum veram prudentiam esse videtur, & optimè dixit Adrianus 1. ad Corinth. cap. 10. *zelum Dei habent, sed non secundum scientiam*.

14 Nonò, & vltimo: tam necessarium videtur medicamen indicatum ob grauem infirmitatem, quam alimentum indicatum ad vitæ conseruationem; sed P. Capuccinus ob bonum pœnitentiæ, & Dei amorem abstinere se nequit ab alimento indicato: ergo nec se poterit priuare medicamine indicato, quamuis hoc faciat ob supra dictum bonum: maior probatur: ideò alimentum indicatum necessarium videtur ad vitam conseruandam, quia hæc sine illo conseruari nequit, sed absque medicamine indicato ob grauem infirmitatem vita conseruari non potest; ergo in eodem necessitatis gradu sunt medicamen, & alimentum. Maior est certa; probatur minor ex Sacra Scriptura Ecclesiastes cap. 38. per hæc verba: *In infirmitate da locum Medico, etenim illum Dominus creauit, & non discedat à te, quia opera eius sunt necessaria*. Origenes Homill. 37. p. f. ità loquitur: *Creator humanorum corporum Deus sciebat, quod talis esset fragilitas humani corporis, quod languores diuersos possit recipere, & ideo Medico dedit disciplinam, vt si accideret ægritudo, non deesset medicina*. Elegantius necessi-

cessitatem vsus medicinæ probat Origenes tom. 2. cant. cellsum sequentibus verbis: *Quemadmodum enim, quia non possunt sine congressu cum vxore procreari liberi, non frustra vxor ducitur, ità quia ex morbo releuari æger, sine ope medicinæ non potest, necesse est medicinam adhibere.* Et Quintilianus ait: *sola est medicina, quæ opus est omnibus, nam licet reliquis artibus egemus; nec semper, nec omnes, huius vtilitate mortalium omnis vita.* Propter hanc necessitatem omnes PP. Theologi asserunt ægrotos sub peccato mortali teneri ad vsum medicinæ, vtpote necessariæ ad vitæ conseruationem, & ad succurrendum humanæ sanitati; & hoc idem clare innuit Iesus Christus Dominus Noster, cum dixit; *beneualentibus non est opus Medico, confirmando infirmos Medico egere.* Hanc doctrinam sequuntur inter alios Hipp. in lib. Isag. eiusque commentatores Valles lib. de Sac. Phylosoph. cap. 74. Heurt. in ora. de Orig. Medicinæ, Tiraquell. de nobil. cap. 32. Ioannes Baptista Peregrin. lib. aduersus Phylosoph. & medicinæ calumniatores Turturet. lib. 2. de nobil. Andreas Brau. in c. cler. de iudicijs, Cortes. disc. apolog. medicinæ. Merola lib. de rep. origin. Zachias tom. 1. q. med. legal. Canon. b. tom. 1. in Aphorisim. Gaspar à Reies. Francus in suo Elis. Camp. qu. Gal. lib. de art. paru. & lib. de sanit. tuenda, & alij, quos citat Dominus Gaspar Brauus Ramirez de Sobremonte in disp. Apologetica pro dogmatice medicinæ præstantia sec. 1. resol. 9. §. 11. Sed sic est, quod expoliatio habitus lanei PP. Capuccinorum est medicamentum necessarium indicatum aliquarum infirmitatum,

vt probauimus : ergo Pater Capuccinus ab hoc remedio se licitè abstinere nequibit; quamuis ob bonum pœnitentiæ, Deique amorem id respuat, vt pote necessarium medicamen ad vitam conseruandam in prædictis accidentibus.

15 Ex omnibus supradictis videtur clarè inferri communem obseruantiam, quam PP. Capuccini tenent præmanendi, dormiendique cum habitu laneo nudis carnibus applicato in suis grauibus, ac acutis infirmitatibus, quamuis vrgens immineat periculum vitæ, esse corporis afflictationem, nec meritoriam, nec laudabilem, sed immoderatam, & durantibus infirmitatibus, quæ ad earum curationem huius pœnitentiæ relaxatione indigent, rigorem talis consuetudinis remittendum esse.



Proponuntur fundamenta, quæ comprobant communem obſeruantiam, quam PP. Capuccini tenent permanendi, ac dormiendi cum habitu laneo nudis carnibus adhærente, etiam in grauibus infirmitatibus quamuis adſit periculum amittendi vitam.

Diſputata à quodam graui Authore ex Capuccinorum Religione, quæ formaliter ità ſe habent.

HOc factum non examinandum lumine humanæ prudentiæ, vt multi faciunt, ſed lumine Diuinæ gratiæ, & fine propter quem fit: *Si quidem omnia poſſumus in eo, qui nos confortat*: neque in hoc aſſerere intendo meam Religionem opinari, Deum in hoc miraculosè operari; ſed quod Religioſi conantur pati hunc rigorem contemnendo proprias vitas propter Chriſtum, ſicut fit à pluribus Chriſtianis in Eccleſia Catholica alijs rationibus, quæ à nemine repræhenduntur.

Et ad ſtabiliendam meam ſententiam, videatur R. P. Her. Bucemb. in med. mor. vbi lib. 3. tract. 4. de 5. & 6. præcepto cap. de homicidio dubit. 1. num. 4. fol. mihi 177. loquens de ſubiecta materia, ſic ait: *Et ſi Carthuſianus in extrema ægritudine poſſit ſeruare vitam veſcen-*

scendo carnibus, licitè, & laudabiliter etiam tunc omittit cum certo periculo mortis: ex Diana par. 5. tract. 4. resol. 32. Victoria Lorea, & alijs, quia rationabiliter negligit vitam pro bono communi ordinis; ergo si licet, & actus est laudabilis Religioso Carthusiano non vesci carnibus, quamuis ex hac abstinentia euidens vitæ periculum sequatur, cum tantummodo sit inter illos consuetudo, non verò præceptum; qua de causa Dominus Fiscalis, tàm seuerè damnat meam Religionem, scilicet Capuccinos, qui ob eandem causam, & finem honestum in ægritudinibus grauibus habitu laneo se non expoliant &c. *Correlatiuorum enim hac est natura, vt quod dispositum est in vno, idem quoque sit in altero leg. fin. cap. de indict. viduit. tollen.* & cùm sit, vt est, idem de eodem, quare illud laudatur, & hoc vituperatur?

2 Videantur etiam selectæ Ioannis Sanchez nostræ qu. & distinc. 3. num. 3. fol. 19. eadem verba, easdemque rationes affert Bucemb. & subdit, vt docet Vazq. 12. to. 2. disp. 169. cap. 4 à num. 20 hinc refertur Diuum Nobertum domos fundationis iuxta paludes, & aquæ fluenta valdè propè fixisse, eo, quod Religiosi ægrotantes degerent, & indè potius animæ, quam corpori inseruirent; & id fieri posse conuincit illud Christi Ioannis 12. & Matthæi 20. *Qui odit animam suam, idest vitam in hoc mundo in vitam æternam custodit eam.* Et post alia idem Sanctus vbi supra subiungit: *Quod ratione patientiæ posset quis permittere se occidi ab alio, dum tamen non sit in mortali, vel iudicet se habere contritionem, aut in bello se exponere periculo mortis pro defensione patriæ,*

vel

vel ad debellandum inimicos, & puniendum eorum delicta, deinde licitè assistit vxor marito laboranti peste, cum probabili periculo vitæ suæ: nec debet quis mutare locum habitationis gratia sanitatis: Nemo item debet vxorem ducere, licet esset ad conseruationem vitæ necessarium; & ratione pudoris fœmina potest recusare membri pudendi curationem cum probabili vitæ periculo: nec qui patitur magnam sitim à potu abstinere tenebitur, licet sciat aliquod inde damnum saluti pullulandum, nam cum tanto dolore perfecta salus non est seruanda; & pedibus nudis incedunt plures Religiosi ob bonum virtutis, & tamen medium esse nociuum saluti; quis ambigat? & humi cubare, & catenas ferreas corpus circumferre fas est ob bonum virtutis, quamuis cum detrimento salutis.

3 Consideretur totum hoc ad propositam consuetudinem non exuendi habitum laneum in grauibus infirmitatibus, quam seruant PP. Capuccini, & patebit, an sit opus virtutis, vel res damnabilis? vnde ob bonum virtutis, & Religionis, & causa exercendæ patientiæ, solum potest quis exponere periculo vitam, immo ipsam profundere &c.

4 Hæ sunt rationes Authoritates, & exempla, quibus RR. PP. Capuccini vtuntur ad tuendam suam consuetudinem tamquam laudabilem, & meritoriam, quia in sua communi obseruantia anteponunt bonum commune propriæ vitæ.

PVN-

PVNCTVM TERTIVM,

In quo satisfit supradictis rationibus, authoritatibus, & exemplis consuetudini, & communi obseruantię fauentibus.

1 
VTHORITATIBVS, & exemplis PP. Carthusianorum relatis à Bucemb. respondetur, quod PP. Carthusiani qualibet infirmitate laborantes, etiam graui, & periculosa, licitè, & laudabiliter abstinent à carnibus, quia earum vsus ad vitandum mortis periculum non est præcise necessarius, vt probat eruditissimus Arnaldus de Villanoba sum. Philosoph. & Eccellens Medicus tract. prop. fol. mihi 254 *de esu Carnium pro sustentatione Ordinis Carthusiensis*, cuius Paragraphus ita incipit: *aduersus me loquebantur in porta &c.* & prosequitur: *inquirent enim peritissimi Medicorum &c.* & magis infra: *sed tamen ad virtutem, tum confortandam, tum reparandam, non est necessarium, vt cibus carnium magis exhibeatur, quam alterius alimenti, talia enim sunt vinum, & vitelli ouorum sorbiles, vt testantur Medici sic probantes &c.* quia periculum mortis in languentibus (dicit) timetur defectu virtutis vitalis, siquidem hac deficiente cessat

vita;

vita; hæc tamen virtus vitalis in ægrotantibus deesse non potest, nisi ob malignitatem morbi illam resoluentis, vel ob defectum alimenti illam conseruantis, & reparantis iuxta omnium peritissimorum Medicorum opinionem; in vtroque casu ægrotus potest liberari à periculo absque esu carnis: in primo casu per ablationem causæ illam resoluendo, eiusque malignitatem medicaminibus corrigendo; in secundo præbendo ægroto alimenta, quæ celeriter restaurent, & virtutem vitalem confortent, ad hoc autem vsus carnium non magis est necessarius, quam cuiusuis alterius alimenti, immo efficacius, & præsens est vinum aromaticum non valde annosum, vel ad spiritus vitales restaurandos, vitelli, ouorum recentium multum faciunt, quia hi sanguine laudabili, ex quo formantur magis illos simbolizant, quam alimentum ex iure carnium maceratarum, (quod vulgo dicitur pisto), quod ratione pinguedinis suæ magis materiam febrili calori, quam puro sanguini alimentum præstat.; præterquam quod ipsa caro est difficilis, & tardæ concotionis, vt supra dictus Arnaldus Isac, alijque sentiunt. Igitur vsus carnium in nulla infirmitate ad periculum mortis effugiendum necessarius est. Et ità sententia Patris Bucemb. est de subiecto non supponente; sed esto quòd carnium vsus in aliqua ægritudine esset simpliciter necessarius antecedenter, vel ex suppositione ad eius curationem, & vitæ conseruationem, Pater Carthusianus sub charitatis præcepto ad illas edendas teneretur, contra quod; cum iuris naturalis, & Diuini sit, nulla

lex humanâ, nulla consuetudo, nullumque votum subsistere potest, vt optimè sentit Illustrissimus Dominus Ioannes de Caramuel Episcopus Missicñ super scholia Diui Bernardi ad regulam Diui Benedicti fol mihi 50. num. 103. vsque 106. per totum, & hanc materiam indiuiduando ad mentem eiusdem Caramuelis in sua theologia Reg. tom. 2. in Regula S. Francisci cap. 3. fol. mihi 694. §. respondeo; videtur contra se ipsum argumentari, & in sua theologia Reg. respondet argumento per hæc verba. *Puto enim esse euidens vitam posse foueri, & conseruari, sine carnibus, & clarius, si agamus de hominibus, qui assueti sunt ab illis abstinere, quales sunt Carthusieni, Minimi, & multi alij, & sic cessant difficultates graues, quę solent in hac materia disputari*. Et admisso casu, in quo Docti, & Periti Medici assererent Religiosum Carthusianum non liberari à graui infirmitate, nisi vescendo carnibus, parendum esse consilio Medicorum: ait Syluester per hæc verba: *Si à peritis Medicis dicerctur fratrem Carthusiensis Ordinis non posse aliter mortem euadere, nisi per esum carnium, non obstante Regula, aut voto, deberet carnes comedere: quia sicut iuramentum, ita & votum non ligat propter periculum mortis, & cum paribus passibus ambulat*. Ita sentiunt Panormitanus, Emmanuel Sà, Almainus, Martinus de Magist. & alij citati à lugo.

4 Ad illud de Domibus fundationis Patrum Præmonstratensium, quod pro parte contraria affertur, respondeo; ipsos Patres vera prudentia ductos moderatos esse illam fundandi consuetudinem, quia vt hodie videmus

ad

ad Domos fundationis eligunt situs, & loca, quæ aptiora sunt ad exercendam suam vocationem, deserentes ea, quæ ob prauam aeris intemperiem obstare possint perfectioni sui Sancti instituti; quod probat, vt quamuis Religionis initio amoris pœnitentiæ incensi loca sanitati obnoxia inconsultè amplexi fuerint, posteà videntes, & maturè considerantes se frustrari pœnitentiæ bono, & sui instituti obseruatione, consilium mutarunt in melius, & ideò laudabiliter vtrumque hodie assequuntur. Hoc idem est, quod intendimus in vsu habitus lanei Patrum Capuccinorum.

3 Quantum verò ad illud, quod in confirmationem contrariæ sententiæ adducitur ex Diuo Ioanne 12. & S. Matthæo 20. *Qui odit animam suam in hoc mundo &c.* videatur per hunc textum explicatio Diui Augustini tract. 51. in Ioanne sub medio, dicentis: *Sed vide, ne tibi subrepat, vt te ipsum velis interimere, sic intelligendo; quod debes odisse in hoc mundo animam tuam, hinc enim quidam maligni, atque peruersi homines, & in semetipsos crudeliores, & sceleratiores homicidæ flammis se donant, aquis se præfocant, præcipitio se collidunt, & pereunt, hoc Christus non docuit, immo etiam Diabolo præcipitium sibi suggerenti, respondit; vade Satana, scriptum est enim non tentabis Dominum Deum tuum.*

Petro autem dixit, significans, qua morte clarificaturus erat Deum: cum esses iunior cingebas te, & ambulabas quo volebas, cum autem senueris, alter cinget te, & ducet quo tu non vis: vbi satis expressit non à se ipso, sed ab alio debere occidi, qui vestigia sequitur Christi. Totum hoc ap-

probat noſtram opinionem, & refutat conſuetudinem non exuendi ægrotum graui morbo laborantem habitu laneo in graui infirmitate, quia eſt occiſio ſui ipſius ſaltem virtualis abſtinère ſe à re ad conſeruationem ſuæ vitæ neceſſaria: & nos probauimus expoliationem habitus lanei in talibus infirmitatibus eſſe neceſſariam.

4 Ad illud, quod additur de Religionibus, quarum filij diſcalceati pergunt, & corpus ſuum cilicijs, & ferreis catenis macerant. Reſpondeo, has Religiones, eorumque profeſſores ſanitatis tempore tales auſteritates laudabiliter exercere, graui vero adueniente infirmitate, omnis corporis afflictatio ceſſat, vt patet vſu, earumque inſtituta pręcipiunt, vt tempore vrgentis accidentis faceſſat omnis diſciplinæ rigor, & inuiolabiliter præceptum Medicorum obſeruetur: & videmus eoſdem PP. Capuccinos non obſtante ordinis ſtatuto ſubuenire infirmorum neceſſitati ſandalijs, iudicantes in hoc ſe non operari contra bonum commune Religionis, nec ſui inſtituti rigorem violare, quia in talibus circumſtantijs ita prudentia dictat. Et ſi dicti PP. ſibi videntur eſſe obligati ex conſcientia ſuccurrere neceſſitati infirmorum habitualium leuamine, & ſandaliorum vſu, cum tales infirmitates non ſint graues, nec adſit proximum vitæ periculum: quare ex conſcientia non debebunt ſubuenire neceſſitati grauiter ægrotantis, & dolentis in proximo periculo leuamine tunicæ lineæ, & habitus lanei expoliatione tempore morbi grauiter vrgentis? hinc infero ſine fundamento eſſe id, quod Patres dicunt, tempore vrgentis infirmitatis ob

com-

communis obseruantiæ bonum, se non exuere habitu laneo, quia quod licitum, & laudabile est, & tempore grauis infirmitatis fieri debet, non aduersatur obseruantiæ beneualentibus statutæ. Primò cum Religio in charitate, & prudentia fundetur, non debet habere eadem statuta, rigores, & austeritates pro ægrotis, ac pro beneualentibus. Secundò quia concedere infirmo totum id, quod charitas præcipit, & est necessarium ad eius curationem, non præbet alijs ocassionem postulandi idem leuamen, ad summum id concedit alteri, qui simili grauamine, & necessitate oppressus existit, vt petat, vt sibi succurratur tamquam graui morbo laboranti, quod non habet locum in Religioso bona valetudine fruente ad tolerandã suæ Regulæ obseruantiã.

5 Nec obstat; quod pro parte contraria adducitur, scilicet aliquos exponere periculo mortis suam vitam ob commune bonum permittentes se vita priuari; quia in nostro casu bonum commune, vt iam probatum est, non periclitatur, & si bonum commune est Sanctæ Matris Ecclesiæ ieiunia seruare, huic bono communi minimè derogatur, eo quod non ieiunet homo aliqua infirmitate impeditus, immo quodam modo fauetur, siquidem quilibet, ieiunium, & carnis abstinentiam tempore sanitatis iucunde amplectitur, sciens, quod si alio is egeat leuamine in morbum incidens eadem Mater Ecclesia, quæ abstinentiam, ieiuniumque præcipit sibi permissura sit totum id, quo ad sui curationem indigebit, rigores prædicti ieiunij, & carnis abstinentiæ erga se moderando.

6 Ne-

6 Neque exemplum Mulieris ; quæ Marito peste laboranti assistere potest facit ad rem ; quia similis assistentia ob bonum charitatis valdè laudabilis est , & in euentu , cum aliquis ei subuenturus sit, & laude digna sit talis assistentia , multo magis laudabile habebitur , vt vxor sua ipsi ministret ob stricti matrimonij vinculi rationem, & quia ipsamet charitas petit, ne proximum tali necessitate oppressum perire sinamus , quamuis cum proximo vitæ nostræ periculo , sicut Sancta Mater Ecclesia laudat inter Sanctorum Martirum numerum collocans illos , qui se dedicarunt seruituti proximorum peste laborantium ; vnde clarè patet differentia casus huius, & illius, de quo nos loquimur; nam , quod Religiosus Capuccinus graui infirmitate laborans, habitu laneo se exuat , aut nullum damnum, aut leuamen proximi sequitur , nec vllum obsequium charitati fit ; immo vt probauimus grauiter charitas læditur , quam sibi quisque debet, & simul subueniendo suæ infirmitati bonum virtutis Regularis obseruantiæ non læditur vt probatum est , omnesque Sacræ Religiones , tam Calceatorum , quam Discalceatorum hoc idem amplectuntur .

7 Ad illud, quod dicitur , vt quis possit sinere se vita priuari , ne proximus , qui existit in peccato mortali moriatur , respondeo , esse actum charitatis benè ordinatæ salutem æternam proximi respicientem , quod in casu nostro non accidit ; quia si ex eo , quod Pater Capuccinus tempore vrgentis infirmitatis habitu laneo expolietur , eius saluatio , vel proximi periclitare-

tur ,

tur, numquam consilium daremus, vt habitu laneo se exueret; sicuti nec vt ob pacientiæ bonum se velle lanea induat, cum subeat graue damnum vitæ temporalis, & nullum periculum vitæ spirituali immineat, quia ita charitas iubet, vt de facto ob pacientiæ bonum Pater Capuccinus sitibundus ex ardenti febri non respuit potionem aquæ frigidæ, quam Medicus ad eius curationem præcipit, cum iudicet se ex conscientia obligatum (sicut verè obligatur) ob bonum maioris charitatis ad illius sumptionem. Vndè patet hanc obiectionem nullam habere vim, sicut & exemplum mulieris, quæ ob pudoris bonum in partibus pudendis se curari non permittit, quia huiusmodi curationem licitè omittere potest, etiam cum periculo vitæ. *Primò* ratione euitandi periculum alicuius motus inordinati per curatiuam contrectationem, ex qua aliquod suæ animæ detrimentum oriri potest; *Secundò*, quia si attendatur natura, & propensio Mulierum ad honestatem, Mulier non tenetur cum periculo tantæ verecundiæ Conseruare vitam, sicut nec quilibet alius tenetur illam eamdem conseruare exponendo se alicui graui incommodo sua proportione huic simili. Ex his responsio deducitur ad illud, quod vltimo loco pro Parte contrarià affertur; nempè, mutare domicilium ob aeris grauitatem sanitati perniciosam est valdè incommodum, siquidem sanitas, diuitiæ, & vires deficerent ad quotidianam domicilij mutationem, non obstante, quod, qui commode migrare possit solum ad sanitatem recuperandam iuxtà prudentiæ, & rectæ rationis regulas

ope-

operatur, & etiam ipsi PP. Capuccini hoc remedio vtuntur censentes ob bonum sanitatis se obligatos esse, sicut ob prædictum bonum, & obligationem balneis vtuntur tempore æstiuo in marinis, & fluuialibus aquis; & si tunc laudabilis, & honesta est habitus expoliatio ad se conseruandum, maiori ratione erit talis ad se curandum, & cum hoc in præseruatione non sit contra bonum Regularis obseruantiæ, multo minus erit in curatione ob bonum sanitatis, quod desideramus eos operari in casu exuendi se habitu laneo, & vestiendi se ipsos tunica linea graui infirmitate vrgente; siquidem absque magno suarum personarum incommodo, & sine læsione virtutum id facere possunt, vt supra probatum est.

8 In responsionibus aliarum obiectionum responsum est his, quæ nobis aduersari possunt; quia si maturè considerentur ad rem non faciunt, vt clarè patet, tam ex rationibus pro nostra sententia allatis, quam ex argumentorum responsionibus, quæ mutatis mutandis possunt illis accommodari.



Ad-

Adduntur aliqua argumenta phyloſophica, Medica, moralia, aliaque exempla, quæ in hac materia pro parte contraria occurrere poſſunt ad fauorem communis, & Regularis Patrum Capuccinorum obſeruantię non exuendi ſe habitu laneo tempore ſuarum grauium infirmitatum.

1 PRimò: Exemplum Patris noſtri Franciſci, qui in ſua vrgente infirmitate, qua animam Deo reddididit, vſque ad vltimum ſuæ vitæ ſpiritum indutus habitu laneo decubuit, laudabilem efficit, & meritoriam communem obſeruantiam ſuorum Filiorum Patrum Capuccinorum, qui in hac aſſidua habitus lanei geſtatione, ſicut in cęteris eius veri imitatores exiſtunt.

2 Secundò: Quando Diuinus amor (quiquidem in tam magna aſperitate eſt, eorum vnicus motor) illos non alliceret ad iſtam Regularem obſeruantiam: timor ſupplicij, quo affectus fuit quidam Religioſus Capuccinus, propterea quod in ſua infirmitate habitu laneo ſe exuerat, & tunica linea ſe induerat, illos ad non exuendum habitum laneum, & non induendam tunicam lineam in ſuis infirmitatibus, licet vrgentibus impellit, & obligat.

3 Tertiò: Moralis consuetudo non exuendi se habitu laneo, etiam tempore grauium ægritudinum, quam plures viri pij, & docti Sacræ Capuccinorum Religioni addicti, inuiolabiliter seruarunt, & seruant centum & quinquaginta abhinc annis, tamquam lex habetur, quam Regularem obseruantiam omnes huius Sacræ Religionis Alumni custodire debent; quia consuetudo *est ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex*, cap. consuetudo dist. 1.

4 Quartò: Physica PP. Capuccinorum consuetudo pergendi, cubandi, & totum annum vestiendi se veste lanea, & rudi supra nudas carnes. Emollit dictam asperitatem etiam in infirmitatibus grauibus, quia iuxta Phylosophi dictum 7. Ethic. *consuetudo est altera natura* & comment. sup. 1. poet. *suaue est homini, quod consueuit tota vita sua*, & tract. Arist. 3. Physic. *Quidam homines tantum assueti erant comedere venenum, quod venenum erat eis cibus*, & etiam affert: *Quod consuetum est, velut innatum est, quia consuetudo est similis naturæ*. Eiusdem opinionis est Cicer. Tusc. q. lib. 2. *consuetudo enim laborum perpetionem dolorum efficit faciliorem*, & paulò inferius Arist. 1. rector. *consuetudinis magna vis est, pernoctant venatores in niue, in montibus vri se patiuntur, inde pugiles cestibus contusi ne ingemiscunt quidem*, & Hipp. lib. 2. Aphor. 49. ità ait: *Assueti assuetos ferre labores, etsi fuerint imbecilles, & senes iuuenibus insuetis, ac fortibus facilius ferunt*, & Gal. lib. de assuetud. *Assuetu lo plurimum valet, & consuetis semper gaudent natura*. Gal. 8. Meth. *consueta facilius ferimus, ab insuetis molesta-*

ſtamur, & inferius: *Conſueta etiam deteriora inſuetis melioribus magis toleramus*, & idem Gal. 2. aphor. comment. 50. *Quod conſuetum eſt, bonum eſt, inconſuetum verò malum, quia conſuetudo eſt acquiſititia quædam natura*: Gal. comment. in prognoſt. *Aſſuetudine enim, & vſu fit familiare, id cui aſſueuimus*: Gal. 2. demot. muſcul. & propter conſuetudinem non valde nos lędunt nimiæ exercitationes, balnea, Pilæpneumaticæ, ſeu Hiſpanienſis ludus, frigora, calores non valdè nos lædunt quia ex vſu naturæ familiaria facta ſunt, & ſicut hæc ſemper ad ſuam conſeruationem ſuo adſimili indigent, ita etiam conſuetudo, & ideo dixit Gal. lib. aſſuet. *conſuetudo, cum ægrotant homines ſemper ſimilia indicat; quia conſuetudo, & ætas rationem habent naturæ*: ibi Gal. *& conſuetudo in curatione infirmitatum obſeruanda eſt in cibo, potu, tegumentis, & ſomno &c.* iuxta Hipp. 6. de morb. popul tex. 40. *conſuetudo in victu, tegumentis, laboribus, ſomno, venereis, & mentis affectionibus ſpectanda*; vnde ſi PP. Capuccini habitu laneo rudi ſuas nudas carnes totum ſuæ vitæ tempus induendi, & cum eo cubandi, & gradiendi aſſueti ſunt, hæc conſuetudo in ſuarum infirmitatum curatione ob rationes ſupra adductas illis ſeruanda eſt, quia ità medicinæ Patres pręcipiunt, & admonent; & ità conſuetus habitus non eſt mutandus, vel auferendus in infirmitatum curatione; ſi quis autem conſueto habitu tales ægrotantes exueret, illoſque tegumento lineo indueret, contra bonam medendi Methodum, & eorundem curandorum ſalutem operaretur, nam faceret contra eorum conſuetu-

dinem, & naturam acquisitam, & lineæ vestis mollitudine non assueti male se habebunt, vt experientia teste comprobatur; assuetus enim duriter humi cubare non bene se habet, neque in molli lecto quietè dormit, & id notat Hipp. 2. lib. de vit. ration. in acutis per hæc verba: *& lectus præter morem mollis laborem infert, & durus præter morem &c.* & doctissimus Franciscus Valles in suo comment. & Reynerus Solenander concil. med. sec. 5. concil. 15. num. 16. historiam narrat de quodam rustico infirmo, cui Gilbertus Doctor omnibus medicaminibus, delitijsque, quæ suo labore, & arte adhibere potuit, sanitatem restituere nequiuit, donec illi iuxta suam consuetudinem, allia, cæpas, caseum, aliaque similia concessit, & suis vestibus indutum humi iacere permisit, & ità infirmus sanitatem recuperauit. Duas alias historias huic similes affert Zacut. Lusytanus in praxi medica admirabili lib. 3. obser. 103. & 104. ad physicæ consuetudinis virtutum confirmandam; vnde infertur in PP. Capuccinis non solum non esse necessariam *ex suppositione, antecedenter, vel sine qua non* habitus lanei expoliationem ad infirmitatum grauium curationem, sed ad illis medendum iuxta bonam Methodum retentionem dicti habitus esse necessariam,

Res-

Respondetur his nouis argumentis in consuetudinis fauorem adductis, & nostra conclusio magis roboratur.

1 PRimò: Ad P. N. Francisci exemplum, respondetur, quod infirmitas, ex qua obijt, incurabilis esset, vt eius Medicus, & spiritualis filius Doctor, cognomento Bon Giouanni, vnus ex excellentibus physicis illius regionis, per hæc verba illi declarauit: *Pater mi iuxta physicę nostræ regulas infirmitas hæc insanabilis est, mihique videtur tua vita non amplius duratura, quam vsque ad Septembris finem, vel Octobris principia*, vt refert P. Fr Ludouicus de Rebolledo in par. 1. coron. Seraphicæ Religionis, & ita nulla vrgebat ratio propter quam P. N. Franciscus habitu laneo se exueret; quia solum intendimus, vt PP. Capuccini graui infirmitate laborantes habitu laneo expolientur, quando datur spes recuperandi sanitatem adhibendo humana remedia, & quando retentio habitus lanei possit esse impedimento recuperandæ sanitati. Præterea quando hidrops (quæ fuit vltima infirmitas, qua Sanctus Franciscus è vita discessit) curabilis esset, habitus laneus ad eius curationem P. N. non noceret, quia hæc Regulariter à frigido principio pendet, & habitus lanei calor ipsum lædere non poterat, & cum hæ physicæ, & medicæ rationes tam efficaces, & sufficientes non

essent

essent (sicut reuera sunt) considerandum est, communia dictamina iuxta Sanctorum actiones semper regulari non posse, quia hæ aliquando à Diuina ratione oriuntur, quæ omnem legem naturalem, & positiuam superat, vt patet in facto Sansonis, quando sibi ipsi mortem intulit, in naturali Danielis ieiunio trium hebdomadarum spatio, in pane à Diuo Didaco de Alcalà pauperibus præbito contra sanctæ obedientiæ præceptum à suo Prælato impositum, aliaque similia multorum Ecclesiæ Dei Sanctorum exempla, quæ immitanda non sunt sine reuelatione Diuina, quæ est prima Regula dirigens omnes alias.

2 Ad secundum respondetur, quod dato casu (cuius nulla alia est probatio, quam inuentum meræ confabulationis) castigatio euenire potuit, quia P. Capuccinus absque necessitate, & sufficienti infirmitate, aut sine Medici consilio, Prælatique licentia habitu laneo se exuerat.

3 Ad tertium, respondetur, quod PP. Capuccini hactenus laudabiliter, & meritorie consuetudinem non expoliandi se habitu laneo vrgentibus necessitatibus obseruarunt, quia sancto zelo æstuantes quæcumque corporis commoda contempserunt; sed nunc cum intelligant à peritis in arte medendi, quibus fidendum est, videlicet à classicis medicinæ Authoribus supra citatis id fieri cum graui suæ vitæ præiuditio, veritati cedere, & grauibus infirmitatibus communis obseruantiæ rigorem suspendere tenentur iuxta D. August. lib. 2. de vnic. Bapt. & hab. dist. 8. verit. *Veritate manife-*

nota.

nifestata cedat consuetudo veritati: vt in vniuersalibus Ecclesiæ primordijs mos erat, Laicos sub vtraque specie Sacra Communione refici; postea decursu temporis patefacta irreuerentiarum veritate, quæ ex Sacra sub vtraque specie Communione oriebantur, etiam consuetudo cessit veritati, itaque hodie Laici Sacram Eucharistiam summere non possunt, nisi sub vnica panis specie; talis consuetudo laudabilis, & meritoria fuit, donec Concilium Costansiense in sect. 13. illam reformauit, & reducendum est in memoriam id, quod supra diximus in responsione ad argumentum circa fundationem Sacræ Religionis institutæ à Diuo Norberto. Nos nihil aliud intendimus, quam quod PP. Capuccini comperta veritate grauium absurdorum, quæ humanæ vitæ aduersantur, & consequenter quod charitatem lædunt, consuetudinem moderentur, communemque obseruantiam in occasionibus, & necessitatibus infirmitatis grauis, & acutæ, quæ ita exigit, & insuper consuetudo, quando cum lege naturali concurrit, non est obseruanda; & ideò dixit Isidorus in syn. lib. 2. & hab. dist. vsus: *cum nec Sacris Canonibus nec humanis legibus consuetudo obuiare monstratur in concussa seruanda est*.

4 Ad quartum, & vltimum respondetur verum esse consuetudine physica vestis laneæ asperitatem lectique duritiem faciliora effici, & caloris frigorisque rigoribus emolliri cibi cruditatem, & corporis, animique labores tolerabiliores reddi, vt experientia, & supradicti Authores docent, & etiam indubitabile est secun-

dum

dum Hipp. & Gal. dicentes consuetudinem sicut alteram naturam suo simili in sanitatis custodia conseruari, & in infirmitatum curatione illam attendendam esse ad medendum naturæ prostratæ; sed etiam in medicina pro certo habetur ad plurium grauium infirmitatum curationem consuetudinis mutationem necessariam esse, quando hæc valde obest grauis infirmitatis curationi, vt experientia docet, & Hipp. lib. 2. de vict. rat. in acutis per hæc verba: *Quod mutatio victus his fiebat non mutato corpore, neque in robur, vt oporteret cibos, neque indebilitatem, vt auferre*: Et Doctissimus Franc. Valles in suo comment. ait: *Sermo, quem hactenus habuit, confirmauitque, est, non esse mutandam consuetudinem, ne tamen hinc intelligas, ægrotos quoque esse cibandos eodem modo, quo antequam ægrotarent, ne vlla mutatio consuetudinis fiat, temperat dictum sermonem, dixit fauendum etiam esse quadam ex parte contrario sermoni, ei scilicet, qui astruit mutandam esse consuetudinem, verus enim etiam is sermo est, non simpliciter, neque omninò, sed quadam ex parte, puta in ęgrotis: nam in his, quæ diximus de sanis ponebatur consuetudinis mutatio fieri, corpore non mutato, atque ità non mirum, si ea mutatio læderet, at verò ægroti corpus mutationem recipit, atque ità non mirum, si consuetudinis etiam mutationem desideret: neque sanè id, quia consuetudo in ægrotis negligentis sit (non est enim, sed quod fieri possit seruanda etiam,) sed quia sunt alia multa consideranda, à quibus capiuntur indicationes, quibus debet fieri satis, vt robur naturæ, & modus morbi &c.* Disposuerat Hipp. rex. antecedenti (ait Valles) quod

con-

consuetudo victus, & potus in beneualentibus minime mutaretur; quia corpori non mutato fieri potest, vt consuetudinis mutatio perniciosa sit; & ne ipse censeretur hortari ægrotos ad eandem obseruantiam, sequenti textu illam restringit, & dicit: in ægrotis vtpote iam mutatione corporis laborantibus mutandam esse consuetudinem in his rebus, quæ impediunt curationem, & aliorum indicationum complementum, sine quo corpus à corruptione præseruari non potest, & ideò idem Hipp. omninò interdicit vinum homini assueto illud bibere, qui grauem capitis dolorem, aut animi deliquium in infirmitatibus acutis pateretur: *Suspicanti autem, in his morbis capitis grauitatem fortem, aut mentis percultionem omninò abstinendum est à vino; aqua verò, in huiusmodi, vtendum est &c.* Et Ioan. Argent. in Gal. art. med. com. 3. ait: *Quare errant Medici, qui Consuetudinis nullam rationem habent nec tamen, illi laudandi, qui ei, plusquam iustum sit, tribuunt; nam in grauissimis morbis à consuetis penitus est recedendum, si illa obsint ad curationem; præualet, enim indicatio, quæ sumitur à morbis, & illorum causis, consuetudini: in leuioribus verò, affectibus aliquid consuetudini tribuimus*: qua ratione, Gal. 8. Meth. cap. vltimo: *Diaria febri laborantibus vinum concedit, si eo per sanitatem vti consueuerunt.* Necessitatem mutandi consuetudinem confirmant; quando hæc grauium infirmitatum curationem valdè impedit Gal. Zacut. Lusyt. in parafrasi hist. 18. de Gal. in lib. 6. de med. princ. hist. de vict. consuet. Christophorus de Vega de art. med. pagina 2. cap. 2.

& tota schola medica. Vnde iuxta hanc Patrum medicinæ doctrinam consuetudo physica non exuendi habitum laneum PP. Capuccinorum mutanda est in illis vrgentibus infirmitatibus, in quibus physicus vestis laneæ contactus earum curationem lædit, & impedit, vt defacto alias consuetudines physicas, & morales ipsi PP. Capuccini ægrotantes mutare consueuerunt; quia grauium accidentium actuali curationi multum nocent: v.g. PP. Capuccini habent consuetudinem recitandi horas Canonicas, at dum magno Capitis dolore febrique laborant, illas non recitant, censentes sana conscientia hoc adimpleri non posse (vt certum est) quia suorum accidentium curationi impedimento, & damno esset non obstante consuetudine physica, & morali, quam tenent; & si dolor Capitis, vel febris est causa sufficiens, vt PP. Capuccini omittant recitationem Diuini Officij, quamuis adsit præceptum illud recitandi, quanto maiori ratione consuetudo physica, & moralis non exuendi habitum laneum in graui infirmitate mutanda erit, cum hæc non sit præcepta, & graue damnum afferat ægroto, & impediat curationem, & adimpletionem aliquarum indicationum principalium, necessariarumque ad curandam infirmitatem.

5 Ad Confirmationem deductam ab obseruationibus, & historijs, quæ à Solenandro, & Zacuto Lusytano afferuntur, respondetur, euentus à supradictis Authoribus relatos raro contingere, & ex his consequentiam vniuersalem non posse inferri leg. nam ad ea ff. de leg.

6 Quod

6 Quod verò non assueti tempore sanitatis vti veste linea, & strati mollitie, hi in infirmitate iuxta allegatum tex. Hipp. vexabuntur, verum est, attenta consuetudine primis diebus illos inquietos fore; sed sicut maius est damnum, quod oritur ex habitus lanei gestatione, & exclusione linteorum in dictis infirmitatibus, quia indicatio exuendi habitum laneum multum vrget, ex duobus damnis minus est eligendum, & principaliori infirmitatis indicationi satisfaciendum, vt idem Hipp. docet, qui in prædictis punctis commendans, vt quantum fieri possit consuetudo in victu, potuque infirmorum custodiatur; postea vt dictum est hanc reformat doctrinam, & in lib. 6. Epidem sect. 8. ait: *Contrarij victus in morbo*: & experientia hanc comprobat veritatem; quia si quis assuetus potioni aquæ niuatæ patiatur expirandi difficultatem, vlcus in pectore, tussim importunam, periculosamque, vel quodlibet aliud graue accidens, huic nequaquam aqua niuata ministrabitur iuxta eius consuetudinem, quia esset morti illum tradere, sed è contra potio aquæ calidę præbenda erit; quia partis languentis indicatio fortior consuetudine est; idemque euenit vinum bibere assueto, qui si incidit in aliquod accidens, cuius curationi multum vini vsus noceat, & etiam si consuetudinis ratione vires eius defecturæ sint, tamen quia maius est damnum, quod ex vini vsu sequitur, minus eligitur.

7 Verum est, quod Pastor assuetus humi cubare, Soli, & aeri expositus, si morbo exanthematum (vulgo Petecchie) correptus in hieme in cubiculum clausum,

recipiatur, & molli lecto ad illum curandum collocetur, delitias ægrè feret, & propter lecti mollitiem minus dormiet, primisque diebus dolebit se cubiculo claudi, tamen totum hoc minus damnum est, quam talem ægrotum in duro solo, & frigido iuxta eius consuetudinem relinquere, quia si remaneat expositus inclementiæ aeris dum grauiter ægrotat, necesse est, vt pereat, & medicamina omnia illius curationi adhibita nullius sint momenti.

¶ Nec obstat dicere à physica consuetudine PP. Capuccinos habitus lanei asperitati tam assuetos esse, vt suas carnes duras, & aptas ad resistendum frigoris, calorisque rigoribus, iam habeant, quia assiduus vsus villosæ vestis illas indurauit, & arefecit: quemadmodum Sol æstiuus quamuis principio nos calefaciat, humores liquefacit, cutim, carnemque mollificat, postea continuatione illam indurat siccando, vt experientia patet in his, qui plurium dierum spatio solaribus radijs nudi expositi fuerunt, ita similiter aiunt, quod licet habitus laneus in principio, quia siccus, & calidus suo physico contactu corpora calefaciat, humores liquefaciat, carnem, cutimque mollificet, porosque aperiat, postea suo attritu, & continuo vsu corpus indurat carnem siccando, porosque claudendo, quapropter non nocebit in diaphoreticis sudoribus, vt in primo Puncto huius tractatus probare conati sumus, immo proficiet, igitur perpetua siccitate carne indurata pororum restrictio conseruabitur, viuentisque exhalatio claudendo exitum sudori impedietur.

¶ Non

9 Non obstat igitur, hoc argumentum (vt diximus) nec fauet allegatæ consuetudini contra istam partem, quia tantummodo probat corpora indurata minus lædi iniurijs externis, quod quidem certum est; sed etiam probat ægrotum acrius sentire iniurias internas, quia quanto magis eius cutis obdurata est, tanto maiorem putrefactionis portionem incendijque intus retinet, vt Hipp. docet in lib. 5. Coacor. præsag. tex. 45. sec. 2. per hæc verba *exercitata, ac densa corpora citius à pleuriticis morbis, & pulmonarijs intereunt, quam otiosa*: ideoque PP. Capuccini eademmet ratione in suis vrgentibus infirmitatibus periculosiores existunt, & ità egent expoliatione habitus lanei, & assumptione tegumenti linei ad mollificandum corporis tactum, vt febrilis materia magis exhalet per poros apertos ab humiditate temperati caloris lini corrigentis externam duritiem, & siccitatem corporis.

10 Non minus necessarius est lineæ vestis, & linteorum vsus in febribus colliquantibus cum diaphoreticis sudoribus, quia relaxando, refrigerandoque intensum corporis calorem (qui sudores causat) suo physico contactu, & mediocri temperamento poros conglutinat, exalationemque viuentis impedit obseruando exitum sudori, quod ab habitu laneo effici nequit; quoniam lana intensum calorem febrilem suo physico contactu augens non solum ad poros aperiendos aptior est, verum etiam ad carnes liquefaciendas, totumque subiectum in sudorem resoluendum.

11 Ex his omnibus mihi videtur inferri P. Capucci-
num

num grauiter ægrotantem in conſcientia linteis vti debere, & exuere habitum laneum in infirmitatibus ad earum curationem ita petentibus toto tempore ſuę grauis infirmitatis, ſubijcientem ſe iudicio periti Medici ità præcipientis, & etiam eius Prælatum debere illi hoc præcipere, ſiquidem in ſimilibus euentibus Prælatus relaxationibus non fauet, ſed neceſſitatibus, & in his lex Diuina, Regulaque Seraphici P. N. Franciſci eſt tam lata, quam vniuſcuiuſque neceſſitas requirit, & ſicut de facto dictæ Religionis Prælati faciunt, dum in commune ſuorum Conuentuum annuum ob præſentis temporis calamitates comparant, ſeu prouident triticum, oleum, vinum, piſces, legumina &c. Cum in hoc illis videatur perfectum votum Sanctæ paupertatis non violare (vt certum eſt) ita exigentibus iſtius temporis anguſtijs; eodem modo prædicti Prælati ſubuenire debent neceſſitatibus infirmorum prouidendo illis tunicas lineas, & linteamina, & permittendo eis, vt ſe habitu laneo exuant, cum hoc non ſit, nec eſſe poſſit communis obſeruantiæ relaxatio, quando hoc tantum fiat ad ſuccurrendum neceſſitati fratris in graui periculo conſtituti, cui obligati ſunt Superiores ſub charitatis, Regulæque ſuæ præcepto prouidere ea, quæ ad vitæ corporalis conſeruationem neceſſaria ſunt, dummodo non obſint ſpirituali vitæ; præterea habitus lanei aſſidua geſtatio, eiuſque Regularis obſeruantia in PP. Capuccinis non videtur augere perfectionem, nec addere ſplendorem aliquem Sacræ Regulæ Sancti P. N. Franciſci, quam prædicti PP. Capuccini profitentur,